UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Corpus Juris Canonici

**Gregor <XIII., Papst>**

**Coloniae Munatianæ, 1665**

Tractatvs De Pœnitentia, habens septem Distinctiones, hîc inferitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62915

Visual Library

ut fornicationis non perducatur ad chaos, *in eo legitur*, lapſa fornicationis, liceat.

C. XVII. ¶ *Puniatur, qui hæc crimina committit, non tamen legitimam dimittat, uxorem.*

*Item* a.

SI *b* quis cum matre 1 fornicatus fuerit ſpirituali, anathematis, ut ſcitis, percutitur ictibus. Similiter autem & illum percutere promulgamus, qui cum ea, quam de ſacro fonte baptiſmatis ſuſceperit, aut cum illa, quam ante Epiſcopum tenuerit, cùm ſacro chriſmate fuerit uncta, fornicationis perpetraverit ſcelus: legitimam tamen, ſi habuit, non dimittat uxorem.

9 pars. Quos 2 enim Deus conjunxit, judex ſua auctoritate ſeparare non debet.

1 ¶ Cum matre] *Sic in Pannormia, & apud Ivonem p. 9. c.36. ſed apud eundem p.1.c.138. legitur:* ſi quis cum commatre, *ſicut etiam in concilio Vuormacienſi.*

2 ¶ Quos enim] *Hæc non ſunt in Vuormacienſi, neq; apud Ivonem, ſed ferè eadem in Pannormia.*

C. XVIII. ¶ *Non homo ſeparat, quos pœna condemnat.*

*Quanquam* Iſidorus *hoc aliter intelligat, dicens.*

QVos *c* Deus conjunxit, homo non ſeparet.] Quæris quomodo? ſubaudi violenter, ſine lege, abſque ratione, quos Deus conjunxit, homo non ſeparet. Non enim homo ſeparat, quos pœna condemnat, quos reatus accuſat, quos maleficium coarctat.

*Verùm hoc pro his dictum intelligitur, quos judices ſæculi pro ſuis ſceleribus legum ſeveritate percellunt, quos vel morte puniunt, vel deportari jubent.*

C. XIX. ¶ *De eodem.*

*Item* ex Concilio Toletano VI. *c. 8.*

10. ps ANtiqui *d* & ſanctiſſimi eſt patris ſententia Papæ Leonis, ut is, qui in ætatis adoleſcentia poſitus, dum mortis formidat caſum, pervenerit ad pœnitentiæ remedium, ſi conjugatus fortè *e* fuerit incontinens, ne poſtea adulterii lapſum incurrat, redeat ad priſtinum conjugium, quouſque poſſit adipiſci temporis maturitate continentiæ ſtatum: quod nos ſicut de viris, ita de fœminis æquo modo cenſemus. Non quidem hoc generaliter, & canonicè eſt præceptum, ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum. Et duntaxat ratione, ut ſi is, qui pœnitentiæ non eſt legibus deditus, antè ab hac vita deceſſerit, quàm ex conſenſu ad continentiam unus 1 eorum fuerit regreſſus, ſuperſtiti non liceat denuò ad uxoris tranſire amplexus. Si autem illius vita extiterit ſuperſtes, qui non accepit abſolutionem *f* pœnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & alterius *g* conſortio fruatur uxoris. Quod de utroque ſexu quomodo à nobis manifeſtum eſt eſſe decretum: ita videlicet, ut in omnibus ſacerdotis expectetur ordinatio, ut juxta quod ætatem aptam perſpexerit, pœnitentiæ, abſolutionis, vel diſtinctionis tribuat legem.

1 ¶ Vnus eorum] *In antiquis conciliorum editionibus eſt,* eorum unde: *in uno Vaticano codice,* alter eorundem: *in codice Lucenſi regio,* ad continentiam eorum fuerit. *in poſterioribus autem Colonienſibus editionibus,* alter ad continentiam eat, unde fuerit regreſſus. *Itaq; in tanta varietate retenta eſt vulgata lectio Gratiani, quæ eſt in manuſcriptis quoq; ipſius exemplaribus.*

TRACTATVS DE *Pœnitentia.*

QVÆSTIO III.

H*Is breviter decurſis, in quibus extra negotii finem aliquantulum evagati ſumus, ad propoſitæ cauſæ tertiam quæſtionem pertractandam (quâ quæritur:*

DISTINCTIO I.

V*Trùm* 1 *ſola cordis contritione, & ſecreta ſatisfactione, abſq; oris confeſſione quiſq; poſſit Deo ſatisfacere,) redeamus. Sunt enim qui dicunt, quemlibet criminis veniam ſine confeſſione factâ eccleſiæ, & ſacerdotali judicio poſſe promereri, juxta illud Ambroſii ſuper Lucam ad cap. 22.*

¶ *Gratianus ad explicandam hanc tertiam quæſtionem multa attulit. Quam per longam tractationem, qui eum ſequuti ſunt, in ſeptem diſtinctiones diviſerunt. In antiquioribus enim exemplaribus nulla eſt diſtinctionum ſeparatio: in aliquibus verò in margine tantùm eſt,* Diſtinctio prima, ſecunda, &c.

1 ¶ Vtrùm ſola] *Hæc conjungenda ſunt cum ſuperioribus, quemadmodum in pervetuſtis ſunt conjuncta: ab illis enim pendent.*

C. I.

PEtrus *a* doluit & flevit, quia erravit, ut homo. Non invenio, quid dixerit, invenio, quòd fleverit: lachrymas ejus lego, ſatisfactionem non lego.

C. II.

*Item* 1.

LAchrymæ *b* lavent delictum, quod voce pudor eſt confiteri.

1 ¶ Item] *Sequebatur*, Ioannes Chryſoſtomus, *apud quem hæc ipſa omninò verba non ſunt inventa. Sed apud B. Ambroſium poſt ultima verba capitis præcedentis ſequitur.* Sed quod defendi non poteſt, abſolvi poteſt. Lavent lachrymæ delictum, &c. *& Ambroſium citat Magiſter ſententiarum.*

C. III.

*Item* Propheta.

SAcrificium *c* Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.

C. IV.

*Item.*

DIxi *d*, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

C. V.

*Quod* Auguſtinus *exponens ait.*

MAgna *e* pietas Dei, ut ad ſolam promiſſionem peccata dimiſerit. ¶ Nondum pronuntiat ore, & tamen Deus jam audit in corde, quia ipſum dicere, quaſi quoddam pronunciare eſt. Votum enim pro opere reputatur.

¶ *Initium uſq; ad verſ.* Nondum. *eſt Caſſiodori, quem citant gloſſa ordinaria, & magiſter. Quæ verò ſequuntur, magna ex parte ſunt ex B. Auguſtino.*

C. VI.

*Cod. lib. 1. de Epiſcopis & cler.* Imperator Iovianus.

2 ps SI quis *f*, non dicam rapere, ſed attentare tantummodo jungendi cauſa matrimonii ſacratiſſimas virgines auſus fuerit, capitali pœna feriatur *g*.

C. VII.

*Item lib. 2. tit. de poſtulando* Impp. Leo & Anthemius *Nicoſtrato Præfecto prætorio.*

NEmo vel in foro magnitudinis tuæ, vel in provinciali judicio, vel apud quenquam judicem accedat ad togatorum conſortium, niſi ſacroſanctis catholicæ religionis fuerit imbutus myſteriis. Sin autem aliquid quoquo modo, vel quadam machinatione fi-

a *al. Idem.* b *In eodem concilio, cap. 34. Ivo part. 1. c. 138. & part. 9. cap. 26. Pannorm. l. 7. c. 64.* c *Matth. 19.* d *Sup. ead. in adoleſcentia,* e *al. eſt fortè.* f *al. benedictionem.* g *al. ulterius.*

a *Sent. 4. diſt. 17. Luc. 22.* b *Ivo ibid.* c *Pſalm. 50.* d *Pſal. 31.* e *Gloſſ. ordin. in eum locum ex Auguſt. & Caſſiodoro. Sup. 17, q. 1. qui bona. verſic. magna pietas. Sent. ibid.* f *Tit. 3. & cod. Theod. l. 9. tit. 25. l. 2. 36. q. 2. ſi quis non dicam. Tripart. hiſt. l. 7. c. 4. Poly. l. 4. tit. 31.* g *al. ferietur.*

ctum,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ctum, vel attentatum fuerit, officium quidem ſublimitatis tuæ centum librarum auri jacturam pro condemnatione ſuſtineat.

C. VIII.

Iidem A A. *ibidem continenter.*

QVicunque *a* auſus fuerit contra providum noſtræ ſerenitatis decretum, officium advocationis per ſubreptionem arripere, & prohibitum patrocinium præſtiterit, ab advocationis officio remotus, ſtylum proſcriptionis, atque perpetui exilii ſpecialiter ſuſtinebit: ſcituris etiam provinciarum rectoribus, quòd is ſub cujus adminiſtratione aliquid hujuſmodi fuerit attentatum, partis bonorum dimidiæ proſcriptionem, & pœnam exilii per quinquennium ſuſtinebit.

C. IX.

*Item lib. 9.* eod. tit. ad legem Iuliam majeſtatis, *le. 5.*

QVisquis *b* cum militibus, &c. cogitaverit (eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri jura voluerunt) ipſe quidem, &c.

*Item c ad legem Corneliam de Sicariis. [Si quis cum telo ambulaverit hominis necandi cauſa, ſicut is, qui hominem occiderit, vel cujus dolo malo factum erit commiſſum, legis Corneliæ de Sicariis pœna coercetur.*

C. X.

Imppp. Valentin. Valens, & Gratianus.

I. SI quis necandi infantis piaculum aggreſſus, aggreſſave ſit, ſciat ſe capitali ſupplicio eſſe puniendum.

C. XI.

*d* Impppp. Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius.

SI fortè mulier marito mortis paraſſe inſidias, vel quolibet alio genere voluntatem occidendi habuiſſe inveniatur, vel ſi fortè maritus eodem modo inſectetur uxorem, in eadem quæſtione ab omni familia non ſolùm mariti, ſed etiam uxoris ſuæ (quæ tamen tunc temporis domi fuerit) quærendum eſt, ſine cujuſquam defenſione.

C. XII.

*Item ff. tit.* e de injuriis, *le. ſed eſt quæſtionis.*

II. SI quis tam fœminam, quàm maſculum, ſive ingenuos, ſive libertinos, impudicos facere attentaverit, injuriarum tenebitur. Sed & ſi ſervi pudicitia attentata fuerit, injuriarum *f* locum habet. Attentari pudicitia dicitur, cùm id agitur, ut ex pudico impudicus fiat. Non ſolùm is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc eſt, qui percuſſit, verùm ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit, ut cui mala pugno percuteretur.

C. XIII.

*Item lege,* g Apud Labeonem.

III. SI quis pulſatus quidem non eſt, verùm manus adverſus eum levatæ, & ſæpe territus eſt, quaſi vapulaturus, non tamen percuſſit, utili injuriarum actione tenetur.

C. XIV.

3 pars. *Contra titulo* h de pœnis.

COgitationis pœnam nemo patitur. *i*

C. XV.

*Item titulo* de *k* extraordinariis criminibus.

SOllicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt, propter voluntatem tamen pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur. *& ꝗ.* ¶ Qui puero ſtuprum (abducto ab eo, vel corrupto comite) perſuaſerit, aut mulierem, puellamvé interpellaverit, quidvé impudicitiæ gratia fecerit, domum 1 præbuerit, pretiumvé, quo is perſuadeat, dederit, perfecto flagitio, punitur capite, imperfecto, in inſulam deportatur. Corrupti comites ſummo ſupplicio afficiuntur.

1 ¶ Domum ] *Sic etiam in ſententiis Pauli, lib. 5. tit. 4. verſ.* qui puero. *ſed in Pandectis a Florentinus legitur,* donum.

C. XVI.

*Item titulo* de furtis.

VVlgaris eſt quæſtio, an is, qui ex acervo frumenti modium ſuſtulit, totius rei furtum faciat, an verò ejus tantùm, quod abſtulit. Ofilius totius acervi furem eſſe putat. Nam & qui aurem alicujus tetigit (inquit Trebatius) totum eum videtur tetigiſſe. Proinde & qui dolium aperit, & inde parum vini abſtulit, non tantùm ejus, quod abſtulit, verùm totius *b* furtum videtur feciſſe. Sed verum eſt in tantum eos furti actione teneri, quantum abſtulerunt. Nam & ſi quis armarium, quod tollere non poterat, aperuerit, & omnes res, quæ in eo erant, contrectaverit, atque ita diſceſſerit, deinde reverſus unam ex his abſtulerit, & antequam ſe reciperet, quò deſtinaverat, deprehenſus fuerit, ejuſdem rei & manifeſtus, & nec manifeſtus fur erit. Sed & ſi quis ſegetem ante 1 lucem ſecat, & contrectat, ejus, quod ſecat, manifeſtus, & nec manifeſtus fur eſt.

1 ¶ Ante lucem] *In Pandectis Florentinis legitur,* ſed & qui ſegetem luce ſecat.

C. XVII.

*Item lib. 2. tit.* Quod quiſquis juris, *le. 1.*

HÆc autem verba: [Quod ſtatuerit, qui jurisdictioni præeſt.] cum effectu accipimus, non verbotenus: & ideò, ſi cùm vellet ſtatuere, prohibitus ſit, nec effectum decretum habuit, ceſſat edictum. Nam [Statuit] verbum rem perfectam ſignificat, & conſummatam injuriam, non cœptam.

C. XVIII.

POenæ (*ſicut in ff.* c *tit. de pœnis legitur,*) legum interpretatione molliendæ ſunt potius, quàm exaſperandæ.

*Atque ideò proprium caſum non excedunt, ſed quæ de raptu virginum, vel advocatis, ſeu de crimine majeſtatis, vel de Sicariis dicta ſunt, favore religionis & fidei, atque principali odio Sicariorum introducta ſunt. Injuriarum verò pro earum varietate multipliciter quis reus fieri poteſt. Varietas itaque criminum, varietatem inducit pœnarum.*

C. XIX.

*Unde* in Digeſtis *d tit. de pœnis.*

4 ps AVt facta puniuntur, ut furta, cædesque; aut dicta, ut convitia, & inſidæ advocationes; aut ſcripta, ut falſa, & famoſi libelli; aut conſilia, ut conjurationes, & latronum conſcientia, quouſque alios ſuadendo juviſſe, ſceleris eſt inſtar. ¶ Sed hæc quatuor genera conſideranda ſunt ſeptem modis, cauſa, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu. Cauſa, ut in verberibus, quæ impunita ſunt à magiſtro illata, vel parente: quoniam emendationis, non injuriæ gratia videntur adhiberi. Puniuntur, cùm quis per iram ab extraneo pulſatus eſt. Perſona dupliciter ſpectatur, ejus qui fecit, & ejus qui paſſus eſt. Aliter enim puniuntur ex eiſdem facinoribus ſervi, quàm liberi, & aliter, qui quidquam in Dominum, parentémve auſus eſt, quàm qui in extraneum, in magiſtrum, vel in privatum. In hujuſmodi conſideratione, ætatis quoque ratio habeatur. Locus facit, ut idem, vel furtum, vel ſacrilegium ſit, & capite luendum, vel minore ſupplicio. Tempus diſcernit emanſorem à furtivo 1, & effractorem, vel furem diurnum à nocturno. Qualitate, cùm factum vel atrocius, vel levius eſt: ut furta manifeſta à nec manifeſtis

a *Idem verò quicunque.*] *origin.* b *Sup. 6. qu. 1. ſi quis.* c *Eod. lib. 9. tit. 16. l. 6. Ibid. continenter.* d *Ibid.* e *Lib. 47. digeſt. tit. 10. le. 9.* f *al. injuriarum actio.* g *Ibid. le. 10. Ibid. le. 1. Ibid. le. 15.* h *Lib. 48. digeſt. tit. 19. le. 18.* i *al. patiatur.* k *Lib. 47. tit. 11. l. 1.*

a *Lib. 47. digeſt. tit. 2. le. 21.* b *totius videtur fur eſſe.*] *orig.* c *Lib. 48. digeſt. tit. 19. le. 42.* d *Ibid. l. 16.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

diſcerni ſolent, rixæ à graſſaturis, expilationes à furtis, à violentia petulantia, de qua re maximus apud Græcos orator Demoſthenes ſic ait,

Οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργήν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία· οὐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶ δεινόν (καίπερ ὂν δεινόν) ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει. πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὧν ἔνια ὁ παθὼν οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιτο ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους ἀήθεις ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι. *Id eſt*, Non enim iram plaga concitavit, ſed ipſa facti indignitas. Neque tam ingenuis grave eſt cædi, (quanquam grave eſt,) quàm per contumeliam cædi. Siquidem multa is, qui alium cædit, admittere poteſt (quorum magnam partem is, qui verberibus affectus eſt, alteri 2 renuntiare ac repræſentare nequit) habitu corporis, vultu, vociferatione, nunc ut contumeliam inferens, nunc ut inimicum ſe gerens, nunc pugnum ducens, nunc in malam cædens. Hæc movent: hæc de ſtatu mentis deturbant homines propudii, ac ſugillationis non aſſuetos.] Quantitas diſcernit furem ab abigeo. Nam qui unum ſuem ſurripuerit, ut fur coërcebitur: qui gregem, ut abigeus. Eventus ſpectatur, ut à clementiſſimo 3 quoque facta: quanquam lex non minus eum, qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit, quàm eum, qui occiderit, puniat: & ideò apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum poëtarum ſcriptum eſt,

Εὖτ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερόνδ' ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.

*Id eſt:*

Quo puerum me tempore veſtras duxit ad ædes,
Ex Opoente Pater, dira pro cæde patrata:
Ob talos nempe ira percitus Amphidamantis,
Cùm gnatum imprudens ſimul, invituſque peremi.

1 ¶ Furtivo] *In aliquot vetuſtis codicibus, & originali eſt,* fugitivo. *Sed ob gloſſam non eſt emendatum.*

2 ¶ Alteri renunciare] *Hæc in ſuum locum ſunt reſtituta.*

3 ¶ Clementiſſimo] *Sic emendatum eſt ex pandectis Florentinis, cùm antea legeretur,* dementiſſimo. *Quod in Baſilicis lib. 60. tit. 52. l. 16. ſic explicatur.* Vir clemens, nec ſeditioſus, ſi arma ſumat, quaſi occidendi cauſa, non punitur ut homicida, niſi & eventus ſequatur. In ſeditioſis autem etiam ſine eventu, animi propoſitum punitur, ob id ſolùm, quòd armati proceſſerint, ut l. 1. ad legem Corneliam de ſicariis.

C. XX.

5 ps *Cogitatio non meretur pœnam lege civili, cùm ſuis terminis contenta eſt. Diſcernuntur tamen à maleficiis ea, quæ de jure effectum deſiderant. In his enim non niſi animi judicium conſideratur.*

C. XXI.

*Vnde in digeſt.* a *tit. de repudiis.*

DIvortium non eſt verum, niſi quod animo perpetuam conſtituendi diſceſſionem *b* fit. Itaque quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quàm ſi perſeverantia apparuit, judicium animi fuiſſe. Ideoque per calorem miſſo repudio, ſi brevi reverſa eſt uxor, nec divertiſſe videtur.

C. XXII.

*Huic, quod in vulgatis eſt diſtinctum caput, in pleriſq; vetuſtis eſt appoſita nota illa, qua indicatur eſſe verba Gratiani.*

*Hinc etiam* in canonibus.

SI *c* quis iratus crimen alicui objecerit, &c.

a *Lib. 24. digeſt. tit. 2. de divor. & repudiis, l. 3.* b *al. diſſenſionem.* c *2. q. 3. ſi quis.*

6 pars. *Ex conſilio autem, velut ex facto, aliquem teneri* Auguſt. *probat, ita dicens.*

C. XXIII. ¶ *Non ſolùm qui manibus occidunt, ſed etiam quorum conſilio & fraude alii occiduntur, homicidæ probantur.*

PErnicioſè *a* ſe *b* decipiunt, qui exiſtimant eos tantùm homicidas eſſe, qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per quorum conſilium & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudæi Dominum nequaquam propriis manibus occiderunt, ſicut ſcriptum *c* eſt: [Nobis non licet interficere quenquam.] Sed tamen illis Domini mors imputatur, quia ipſi lingua eum interfecerunt dicentes: [crucifige, crucifige eum.] Vnde unus Evangeliſta dixit Dominum crucifixum eſſe hora tertia, alius ſexta; quia Iudæi crucifixerunt eum hora tertia lingua, milites hora ſexta manibus. Qui ergo hominem tradidit, ille interfecit eum, Domino dicente: *d* [Majus peccatum habet, qui me tradidit tibi.] Vnde Pſalm. *e* [Filii hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.] Subjiciant ergo ſe pœnitentiæ, quorum conſilio ſanguis funditur, ſi veniam promereri voluerint.

¶ *Caput hoc collectum eſt ex variis locis B. Auguſtini, videlicet ex lib. 3. de conſenſu Evangeliſtarum, cap. 13. explanatione Pſal. 56. & 63. & tract. 114. & 115. in Ioannem.*

C. XXIV. ¶ *Interfectores fratrum, detractores eorum, eoſq; odientes homicidæ habentur.*

*Item* ex epiſtola Clementis *prima ad Iacobum.*

HOmicidiorum verò tria genera eſſe dicebat B. Petrus, & pœnam eorum parilem fore dicebat. Sicut enim homicidas, interfectores fratrum, ita detractores eorum, eoſque odientes homicidas eſſe manifeſtabat: quia & qui occidit fratrem ſuum, & qui odit, & qui detrahit ei, pariter homicidæ eſſe monſtrantur.

C. XXV. ¶ *In maleficiis voluntas pro opere reputatur.*

*Item* Hieronymus *in Eſa. c. 33.*

OMnis *f* iniquitas, & oppreſſio, & injuſtitia, judicium ſanguinis eſt: & licet gladio non occidat, voluntate tamen interficit.

C. XXVI. ¶ *De eodem.*

*Item* Cyprianus *tract. 4. de mortalitate.*

NVmquid Cain *g*, cùm Deo munus offerret, jam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus providus antè damnavit. Vt illic cogitatio mala & pernicioſa conceptio, Deo providente, proſpecta eſt, ita & in Dei ſervis, apud quos confeſſio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. Aliud eſt enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. Qualem te invenit Dominus, cùm vocat, talem pariter & judicat, quando ipſe teſtetur, & dicat *h* [Et ſi ſcient omnes eccleſiæ: quia ego ſum ſerutator renis & cordis.]

C. XXVII. ¶ *Homicida eſt qui fratri ſuo mala perſuadet.*

*Item* Auguſtinus *tract. 42. ad c. 1. Ioannis.*

NOli putare te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis. Et ut ſcias, quia occidis, audi Pſalmum: *i* [Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum machera *k* acuta.]

a *al. Periculoſè.* b *Poly. l. 6. tit. 10. Anſ. l. 11. c. 41. Burch. l. 6. cap. 31. Ivo part. 10. c. 160.* c *Ioan. 18. Matth. 26. Mar. 15. Ioan. 19.* d *Ioan. 19.* e *Pſal. 56.* f *Pol. ibid. Anſ. l. 11. c. 43. Ivo p. 10. c. 107.* g *Gen. 4.* h *Apoc. 5.* i *Pſal. 56.* k *gladius acutus.*]

C. XXVIII. ¶ *Occidit, qui ad nocendum movetur.*

Idem *lib. 19. contra Fauſtum, c. 23.*

HOmicidium *a* lege vetitum, putabatur non aliud eſſe, niſi corporis peremptio. Aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidii genere deputari.

¶ *Verba propria B. Auguſtini ſunt hæc:* Quia enim non intelligebant homicidium, niſi peremptionem corporis humani, per quam vita privaretur, aperuit Dominus, &c.

C. XXIX. ¶ *Furti tenentur, qui ſolo timore non furantur.*

*Item* Auguſtinus *lib. 50. hom. homil. 28.*

SI propterea *b* non facis furtum, quia times, ne videaris, intus feciſti, in corde feciſti: furti teneris, & nihil tuliſti.

C. XXX. ¶ *Non ideò minus delinquit, cui ſola deeſt facultas.*

Idem *de libero arbitrio, lib. 1. c. 3.*

SI cui etiam non contingat facultas concumbendi cum hac conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur. *Item, ſicut auctoritas teſtatur.* ¶ Voluntas 1 remuneratur, non opus. Voluntas autem in cordis contritione eſt, opus vero in oris confeſſione.

1 ¶ Voluntas ] *Hæc uſque ad finem ſunt ex homilia 26. operis imperfecti in Matthæum.*

*Luce clarius conſtat cordis contritione, non oris confeſſione peccata dimitti.*

C. XXXI.

*Item* Proſper *lib. 1. de vita contemplativa. cap. 7.*

POrrò illi, *c* quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipſis confeſſa, nec ab aliis publicata, ſi ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem. Et quid eis prodeſt humanum vitare judicium, cùm, ſi in malo ſuo permanſerint, ituri ſint in æternum, Deo retribuente, ſupplicium? Quòd ſi ipſi ſibi judices fiant, & veluti ſuæ iniquitatis ultores, hic in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſupplicia, & lachrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent æterni ignis incendia.

C. XXXII.

*Et infrà* ibidem.

FAcilius Deum *d* ſibi placabunt illi, qui non humano convicti judicio, ſed ultrò crimen agnoſcunt: qui aut propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis (quales occulti ſunt) ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & ab altari, cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, vitam ſuam tanquam mortuam plangunt, certi, quòd reconciliato ſibi efficacis pœnitentiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniant.

¶ *In pleriſque vetuſtis exemplaribus caput hoc conjunctum eſt ſuperiori: in nonnullis autem reliqua etiam uſque ad cap. Medicina.*

7 pars. *Hoc idem probatur auctoritate illa prophetica:* e [*In quacunque hora peccator fuerit converſus, & ingemuerit, &c.*] *Non enim dicitur, ore confeſſus fuerit, ſed tantum:* [*Converſus fuerit, & ingemuerit, vita vivet, & non morietur.*] *Hinc etiam* Propheta *f ait.*

C. XXXIII.

SCindite corda veſtra, & non veſtimenta.

*Oſtendens in contritione cordis, quæ in ejuſdem ſciſſura intelligitur, non in confeſſione oris, quæ pars eſt exterioris ſatisfactionis, quam ſciſſuram veſtium nominavit, à parte totum intelligens, peccata dimitti.*

C. XXXIV.

*Hinc etiam per eundem Prophetam* a *Dominus ait.*

COnvertimini ad me in toto corde veſtro, & convertar ad vos.

¶ *Confecta eſt ſententia iſta ex verbis Ioëlis, cap. 2. & Zachariæ, cap. 1.*

*Converſio* b *autem dicitur, quaſi cordis undique verſio. Si autem cor noſtrum undique à malo ad Deum vertitur, mox ſuæ converſionis fructum meretur, ut Deus ab ira ſua ad miſericordiam converſus peccati præſtet indulgentiam, cujus* c *primò præparabat vindictam. Vnde datur intelligi, quòd etiam ore tacente veniam conſequi poſſumus. Hinc* d *etiam leproſi illi, quibus Dominus præcepit, ut oſtenderent ſe ſacerdotibus, in itinere, antequam ad ſacerdotes venirent, mundati ſunt. Ex quo facto nimirum datur intelligi, quòd antequam ſacerdotibus ora noſtra oſtendamus, id eſt, peccata noſtra confiteamur, à lepra peccati mundamur. Hinc* e *etiam Lazarus vivus de monumento prodiit: non prius de monumento eſt eductus, & poſtea à Domino ſuſcitatus: ſed lapide remoto, quo monumentum claudebatur, in ſepulchro revixit, & foràs vivus prodiit.* ¶ *Hinc* f *etiam, ut Dominus oſtenderet, quòd non ſacerdotali judicio, ſed largitate divinæ gratiæ peccator emundatur, leproſum tangendo mundavit, & poſtea ſacerdoti ſacrificium ex lege offerre præcepit. Leproſus enim tangitur, cùm reſpectu divinæ pietatis mens peccatoris illuſtrata compungitur. Vnde* g *poſt trinam negationem Petrus, Domino eum reſpiciente, profudit amaras lachrymas, quibus culpam negationis ſuæ diluit. Leproſus ſemetipſum ſacerdoti repræſentat, dum peccatum ſuum ſacerdoti pœnitens confitetur. Sacrificium ex lege offert, dum ſatisfactionem eccleſiæ judicio ſibi impoſitam factis exequitur. Sed antequam ad ſacerdotem perveniat, emundatur, dum per contritionem cordis ante confeſſionem oris peccati venia indulgetur. Hinc etiam medici negantur ſuſcitare aliquem, ut reſuſcitatus confiteatur: dum per Prophetam* h *dicitur,* [*Nunquid medici reſuſcitabunt, & confitebuntur tibi?*] *Item* i [*A mortuo, ut auctoritas ait, perit confeſſio, velut ab eo, qui non eſt.*] *Vnde pœnitens ille, qui timore octavæ territus exclamaverat,* [*Domine,* k *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:*] *poſtea ſupplicans ajebat:* [*ſalvum me fac propter miſericordiam tuam, quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: in inferno autem nullus tibi confitebitur.*] *Si ergo nullus confitebitur, niſi reſuſcitatus, nemo autem vivit gehennæ filius, & perpetua damnatione dignus, patet, quòd antequam quiſque confiteatur, peccatum à reatu ſuæ prævaricationis, quo æterna ſibi debebantur ſupplicia, per gratiam internæ compunctionis abſolvitur.* ¶ *Item, Si antequam quiſque confiteatur, à Domino reſuſcitatur, vel reſuſcitatus vivit, dum confitetur, vel poſt reſurrectionem iterum mortuus eſt, & confitetur. Sed ſicut antequam reſuſcitaretur mortuus, confiteri non poterat, ſic poſt reſurrectionem mortuus confiteri non valet. Reſtat ergo ut reſuſcitatus vivat, dum peccatum confitetur* 1. *Habet itaque ſuſcitatorem ſuum ſibi præſentem, ſeq; inhabitantem.*

1 ¶ Confitetur ] *Hic in vulgatis interjiciebantur hæc,* ergo ſola contritio, in qua fit reſuſcitatio, tollit peccatum; *quæ abſunt à pleriſq; & emendatioribus Gratiani codicibus.*

C. XXXV.

*Vnde* Auguſtin. *ait in Pſal. 70.*

REſuſcitatus corpore vivit abſente ſuſcitatore. Non autem ſic reſuſcitatus in anima.

¶ *In gloſſa ordinaria in Pſal. 70. verſ.* Deus docuiſti. *in verſ.* mirabilia. *ex Auguſtino hæc afferuntur:* Quid mirabilius, quàm mortuos ſuſcitare? Suſcitatus corpore vivit etiam abſente ſuſcitatore, non ſic ſuſcitata anima ſine Deo:

a *Gloſſ. ordin. in Matth. c. 6.* b *Ivo p. 8. c. 104. Pann. l. 7. c. 19.* c *Sent. 4. diſt. 17.* d *Sent. ibid.* e *Eſa. 30.* f *Ioel. 2.*

a *Ioel. 2. & Zach. 2.* b *Sent. ibid.* c *al. cui.* d *Luc. 17.* e *Ioan. 11.* f *Matth. 8.* g *Luc. 22.* h *Pſal. 87. Gregor. in Pſal. 1. pœnit.* i *Eccleſ. 17.* k *Pſal. 6.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*quæ ſententia fuſius exponitur apud ipſum B. Auguſtinum concione ſecunda in eundem Pſalmum.*

*Cùm enim Deus ſit vita animæ, anima verò vita corporis, ſicut corpus vivere non poteſt abſente anima, ita non niſi Deo præſente anima vivere valet. Habet itaque anima ſibi Deum præſentem per gratiam, qui vivens peccatum ſuum confitetur, eamq; vita, quæ Deus eſt, inhabitat, quam inhabitando vivere facit. Si autem illam inhabitat, ergo templum Spiritus Sancti facta eſt, ergo illuminata eſt, ergo à tenebris peccatorum expiata eſt, ergo templum diaboli eſſe deſiit, quæ ad lucem venit, cujus reſpectus tenebras fugat. Nulla enim (ut ait Apoſtolus* a *) conventio Chriſti ad Belial, nulla participatio lucis ad tenebras, nulla communicatio juſtitiæ & iniquitatis, nullus conſenſus templo Dei cum idolis. Item, ut Chriſtus* b *ait: [Omnis, qui odit malum, in luce agit.] Qui autem in luce agit, ſicut Auguſtinus ait, in Chriſto operatur. Qui autem in Chriſto operatur, ejus filius probatur. Cujus enim opera quiſq; facit, ejus filius eſſe perhibetur. Vnde* c *quibuſdam Dominus ait: [Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.] Item: [Vos ex patre diabolo eſtis, quia opera patris veſtri facere vultis.] Nemo autem filius Dei & diaboli ſimul eſſe poteſt. [Nemo* d *enim, ut ipſe ait, duobus Dominis ſervire poteſt.] Item, ut Ioannes ait in epiſtola ſua 1. cap. 3.*

C. XXXVI.

QVi natus eſt ex Deo, non peccat.

*Ergo nec eſt filius diaboli. Solo enim peccato diaboli filii ſumus. Ergo* e *de ejus regno tranſlati ſumus in regnum charitatis filii Dei, & ſumus erepti de poteſtate tenebrarum, & facti filii lucis. Cùm ergo ante confeſſionem, ut probatum eſt, ſumus reſuſcitati per gratiam, & filii lucis facti, evidentiſſimè apparet, quòd ſola cordis contritione, ſine confeſſione oris, peccatum remittitur.*

C. XXXVII.

*Item* Ioannes *ibidem.*

OMnis, qui non diligit, in morte manet.

*Si ergo vivit, & diligit, ſi diligit, dilectio in corde eſt, dilectio autem in malo non eſt. Eſt enim proprius fons bonorum, in quo non communicat alienus. Ergo bonus eſt iſte factus per gratiam ante confeſſionem peccati: non itaque malus eſt, bonus enim & malus aliquis ſimul eſſe non poteſt. Quòd ſi malus non eſt, membrum diaboli non eſſe probatur: nec ergo dignus eſt gehenna quæ diabolo & membris ejus ſolummodo debetur, ſicut æterna beatitudo ſolummodo membris Chriſti paratur. Non ergo in confeſſione peccatum remittitur, quod jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ: &* f *ſicut circumciſio data eſt Abrahæ in ſignum juſtitiæ, non in cauſam juſtificationis, ſic confeſſio ſacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ, non in cauſam remiſſionis accipiendæ.*

2 pars. *Alii è contrario teſtantur, dicentes ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis neminem à peccato poſſe mundari, ſi tempus ſatisfaciendi habuerit. Vnde* g *Dominus per Prophetam ait. [Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris.]*

C. XXXVIII.

*Item* Ambroſius *in lib. de Paradiſo, cap. 14.*

NOn *h* poteſt quiſquam juſtificari à peccato, niſi antè fuerit peccatum confeſſus.

C. XXXIX.

Idem *in ſerm. 1. Quadrageſimæ.*

ECce nunc tempus acceptabile adeſt, in quo confeſſio à morte animam liberat: confeſſio aperit paradiſum: confeſſio ſpem ſalvandi tribuit. Vnde *i* ſcriptura dicit. [Dic tu iniquitates tuas, ut juſtificeris.] His verbis oſtenditur, quia non meretur juſtificari, qui in vita ſua peccata non vult confiteri. Illa ergo confeſſio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia. Pœnitentia *k* vera eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commiſit. Pœnitentia eſt mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

C. XL.

*Item* Ioannes *os aureum in hom. de pœnitentia, quæ incipit: [Provida mente.]*

PErfecta *a* pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. *& infrà.* ¶ In corde ejus contritio, in ore confeſſio, in opere tota humilitas: hæc eſt fructifera pœnitentia.

C. XLI.

Idem.

NOn *b* poteſt quis gratiam doni *c* cœleſtis accipere, niſi prius purgatus fuerit ab omni ſorde peccati per pœnitentiæ confeſſionem, per donum baptiſmi ſalutaris.

C. XLII.

*Item* Auguſtin. *in lib. de continentia, c. 6.*

NVllus *d* debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque, & ſi longè minorem quàm debeat, ſolverit pœnam. Ita *e* enim impertitur à Deo largitas miſericordiæ, ut non relinquatur etiam juſtitia diſciplinæ.

C. XLIII.

Idem *Vincentio, epiſt. 48.*

NEminem *f* putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque ſeu magno, ſeu parvo peccato ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.

C. XLIV.

Idem *in lib. 50. homil. 49. de pœnitentia.*

AGite pœnitentiam, qualis agitur in eccleſia, ut oret pro vobis eccleſia. Nemo dicat ſibi, occultè ago, apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt: [Quæ *g* ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo.] Ergo ſine cauſa claves datæ ſunt eccleſiæ Dei: fruſtramus Evangelium Dei: fruſtramus verba Chriſti: promittimus vobis quod ille negat, nónne vos decipimus? Iob *h* dicit: [Si erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea.] Atque 1 ideò ſi non potuiſtis habere, vel noluiſtis pudicitiam conjugalem, ſeu continentiam, & deviaſtis à propoſito, vel vinculo conjugali, vel devotione continentiæ, fit in vobis dolor, & humilitas pœnitentiæ. Apertius dico. Nemo dicat, non intellexi. Qui poſt uxores veſtras illicito vos concubitu maculaſtis, ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, &c.

1 ¶ Atque ideò] *Additæ ſunt iſtæ duæ voces à collectore, quoniam mutatus ab ipſo eſt ordo verborum B. Auguſtini. Nam apud B. Auguſtinum hæc, quæ hîc ſequuntur, antecedunt ea, quæ ſuprà ſunt poſita.*

C. XLV.

*Item* Hieronymus *ſuper Exodum.*

2 ps ET *i* venit, inquit, Aaron, & omnes Presbyteri de Iſrael, manducare panem cum ſocero Moyſi, in conſpectu Dei. Omnia ergo, quæ faciunt ſancti, in conſpectu Dei faciunt, peccatores *k* autem à conſpectu Dei fugiunt. Deniq; ſcriptum *l* eſt, quia Adam, poſtquam peccavit, fugit à conſpectu Dei. & interrogatus reſpondit: [Audivi vocem tuam, & abſcondi me, quia eram nudus.] Sed *m* & Cain poſtquam pro parricidio condemnatus eſt à Deo [exiit, inquit, à facie Dei, & habitavit in terra Naim.] Exit ergo à facie Dei, qui indignus eſt Dei conſpectu. Sancti autem manducant & bibunt in conſpectu Dei, & omnia quæ agunt, in conſpectu ejus

a *2. Cor. 6.* b *Ioan. 8.* c *Ioan. 8.* d *Matt. 6.* e *Coloſſ. 1.* f *Geneſ. 17.* g *Eſa. 43.* h *Sent. 4. diſt. 17. Manuſcripto, cujus initium. [Ecce nunc tempus adeſt.] Sent. ibid.* i *Eſa. 43.* k *Infr. de pœnit. diſt. 3. c. 1.*

a *Infr. diſt. 3. perfecta. Sent. 4. diſt. 17.* b *Infr. de conſecr. diſt. 4. non poteſt.* c *al. vitæ.] al. Dei accipere.* d *Sent. ibid. Polyc. l. 6. tit. 20. Anſ. l. 11. c. 142.* e *Atq; ita impertitur largitas.] orig. Sent. ibid. Poly. ib.* g *Matt. 16.* *Polyc. ibid.* f *Nec quenquam.] orig.* h *Iob. 31. apud 70. expreſſius.* i *Exod. 18.* k *Peccatores fugi.] orig.* l *Gen. 3.* m *Gen. 4.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ctu ejus agunt. Ego amplius adhuc locum præſentem diſcutiens video, quia qui pleniorem ſententiam Dei accipiunt, & plenius divinis imbuti ſunt diſciplinis, iſti etiam ſi malum faciunt, coram Deo faciunt, & in conſpectu ejus faciunt: ſicut ille, qui dixit: [Tibi [a] ſoli peccavi, & malum coram te feci.] Quid ergo plus habet, qui malum coram Deo facit? illud profectò, quòd continuò pœnitet, & dicit, peccavi. Qui autem diſcedit à conſpectu Dei, neſcit converti, & peccatum pœnitendo purgare. Hoc ergo intereſt, malum coram Deo facere, & à Dei conſpectu diſceſſiſſe peccantem.

*¶ Hic etiam, ut ſæpe alibi obſervatum eſt, homil. 11. Origenis ad c. 16. Exodi, ſub nomine B. Hieronymi citatur.*

C. XLVI.

*Item* Ambroſius *lib. 1. de pœnitentia, c. 4.*

SEd continuò, qui dixerat: [b] [Sicut Adama faciam te, & ſicut Seboim,] quæ duæ urbes ex vicinia Sodomorum paribus excidii traxere conſortium, [converſum eſt, inquit, cor meum: in eo ipſo turbata eſt pœnitentia mea: non faciam ſecundùm iracundiam furoris mei.] Nónne apparet, quòd ideò nobis peccantibus indignetur Dominus Ieſus, ut indignationis ſuæ nos terrore [c] convertat? Indignatio ergo ejus non ultionis executio, ſed magis abſolutionis operatio eſt.

*¶ Caput hoc antea citabatur ex B. Auguſtino, reſtitutum eſt ex B. Ambroſio, & ex ipſo locus ſcripturæ emendatus. Sequitur enim* ſeptuaginta *70.*

C. XLVII.

*Idem* Ambroſius *in lib. de Paradiſo, c. 14.*

SErpens [a] decepit me, & manducavi.] ¶ Venialis [e] culpa, quam ſequitur profeſſio delictorum. Ideò non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo, ſed magis confeſſa peccatum eſt: quam medicinalis [f] ſecuta ſententia eſt. Bonum eſt condemnari in peccato, & flagellari in delicto, ut cum hominibus flagellemur. Deniq; [g] Cain, quia voluit crimen negare, indignus judicatus eſt, qui puniretur in peccato, ſed remiſſus eſt ſine præſcriptione [h] pœnæ, fortaſſe non tam reus [i] majore crimine parricidii (illud enim commiſit in fratrem) quàm ſacrilegii, quòd Deo credidit mentiendum, dicens: [Neſcio: nunquid ego cuſtos fratris mei ſum?] Et ideò accuſatori diabolo ejus accuſatio reſervata eſt, ut cum ejus angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari. *& lib. de pœnitent. c. 1.* ¶ Nam [k] paſtor ille Evangelicus lapſam ovem vexiſſe legitur, non abjeciſſe: & Salomon [l] ait: [Noli eſſe nimium juſtus.] Debet enim juſtitiam temperare moderatio. Nam quemadmodum ſe tibi curandum præbeat, quem faſtidio habeas [m]? qui contemptui ſe, non compaſſioni medico ſuo putet futurum?

C. XLVIII.

*Item* Ambroſius *eod. lib. 1. de pœnitentia, c. 11.*

LIbenter ignoſco, promptè indulgeo, miſericordiam [n] malo, quàm ſacrificium: quia per ſacrificium juſtus commendatur, per miſericordiam peccator redimitur. [o] [Non veni vocari juſtos, ſed peccatores.] In [p] lege ſacrificium, in Evangelio miſericordia eſt: lex per Moyſem data eſt, per me gratia.

C. XLIX.

*Item* Leo *Epiſcopus Theodoro Forojulienſi Epiſcopo, epiſt. 89. al. 91.*

MVltiplex [q] miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolùm per baptiſmi gratiam, ſed etiam per pœnitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis donum violaſſent, proprio ſe judicio condemnantes, ad remiſſionem criminum pervenirent: ſic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum, nequeat obtineri. Mediator enim Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus hanc præpoſitis eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus pœnitentiæ ſatisfactionem [a] darent, & eadem [b] ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per januam reconciliationis admitterent: *& poſt pauca.* ¶ Si autem aliquis eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocunque interceptus obſtaculo à munere indulgentiæ præſentis exceſſerit [c], & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit. *& poſt pauca.* ¶ Hic [d] autem qui in tempore neceſſitatis, & in periculi urgentis inſtantia præſidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec ſatisfactio interdicenda eſt, nec reconciliatio deneganda, quia miſericordiæ Dei nec menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras converſio. *& infrà.* ¶ Ita [e] ergo talium neceſſitati auxiliandum eſt, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur, ſi eam etiam amiſſo vocis officio per indicia [f] integri ſenſus quærere comprobentur. Quòd ſi ægritudine aliqua ita fuerint aggravati, ut quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia ſacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, ut ſimul & pœnitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur. Servata tamen regula canonum paternorum circa eorum perſonas, qui in Deum à fide diſcedendo peccarunt.

*¶ Caput hoc ut eſt apud Gratianum, magis convenit cum originali impreſſo inter opera B. Leonis, quàm in tomis conciliorum.*

C. L.

*Item* Ambroſius *lib. 1. de pœnit. c. 1.*

3 NEmo poteſt bene agere pœnitentiam, niſi qui
ps ſperaverit indulgentiam. Sed negant his oportere reddi communionem, qui prævaricatione lapſi ſunt. *& infrà.* ¶ Deus autem nullum crimen excepit, qui peccata donavit omnia.

C. LI.

*Item* Ambroſius *lib. 2. de Cain & Abel, c. 4.*

VErbum Dei [g] dimittit peccata; ſacerdos eſt judex. Sacerdos quidem ſuum officium exhibet, & nullius poteſtatis jura exercet. *& lib. 1. de pœnitentia, c. 2.* ¶ Dominus par jus & ſolvendi eſſe voluit, & ligandi, qui utrunque pari conditione permiſit. Ergo qui ſolvendi jus non habet, nec ligandi habet. *& ꝗ.* ¶ Certum eſt, quòd eccleſiæ utrunq; licet, hæreſi utrunq; non licet. Ius enim hoc ſolis permiſſum eſt ſacerdotibus. Rectè igitur eccleſia vindicat, quæ veros ſacerdotes habet: hæreſis vindicare non poteſt, quæ ſacerdotes Dei non habet.

*¶ Confectum eſt caput hoc ex B. Ambroſii verbis, collectoris tamen arbitratu diſpoſitu.*

C. LII.

Idem *in eod. 1. lib. de pœnit. c. 3.*

4 POteſt fieri [h], ut aliquis victus ſupplicis ſermone
ps neget, & corde adoret. Nunquid eadem cauſa eſt ejus qui ſponte neget, & ejus quem tormenta inclinaverint ad ſacrilegium, non voluntas? Quàm indignum autem, cùm apud homines valeat certaminis gratia, ut apud Deum non valere aſſeratur? Nam ſæpe in hoc athletarum ſæculari certamine etiam victos, quorum fuerint certamina probata, vulgus hominum cum victoribus coronare conſuevit; maximè quos viderit aut ſorte, dolo, aut fraude excluſos victoria. Chriſtus ergo

a *Pſal. 50.* b *Oſe. 11. ſecundum 70.* c *al. furore.* d *Sent. ibid. Gen. 3.* e *Venialis.]* *orig.* f *mendicabilis.* g *Gen. 4.* h *præſcripto.]* *orig.* i *abeſt ab orig.* k *Luc. 15.* l *Eccleſ. 7.* m *al. dedas.* n *Oſe. 6.* o *Matth. 9.* p *Ioan. 1.* q *Sent. 4. diſt. 17. Anſel. l. 11. c. 13.*

a *al. Actionem.* b *al. eoſdem.* c *al. exciderit.* d *Sup. 26. q. 1. his, qui.* e *Verùm ut dixi etiam talium.]* *orig.* f *al. iudicium.* g *Sent. 4. diſt. 18. 23. q. 5. remittuntur. Idem l. 3. de Spiritu Sancto, c. 19.* h *Polyc. l. 6. tit. 12.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

athletas ſuos, quos viderit gravibus paulisper ceſſiſſe ſuppliciis, ſine venia patietur manere? Nunquid *a* non habebit remunerationem laboris, qui etiam quos projicit, non in æternum projicit? *& infrà cap. 6.* ¶ Dicis *b* Petro excuſanti, ne ejus pedes lavares. [Niſi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.] Quod ergo iſti poſſunt conſortium tecum habere, qui claves regni non ſuſcipiunt, negantes, quòd dimittere peccata debeant? Quod rectè quidem fatentur de ſe. Non enim habent Petri hæreditatem, qui Petri ſedem 1 non habent, quam impia diviſione diſcerpunt. *& cap. 33.* ¶ Ægritudo carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis, culpam abolet. Illuditur ergo diabolus, ut ſe ipſe morſu ſuo vulneret, & contra ſe armet, quem debilitandum putavit. *& infrà.* ¶ Quod nocet corpori, juvat Spiritum. *& lib. 5. cap. 3.* ¶ Sicut ſemel pro omnibus immolatus eſt Chriſtus, ita quotieſcunque peccata donantur, corporis ejus ſacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio. Ergo evidentiſſimè Domini prædicatione mandatum eſt etiam graviſſimi criminis reis, ſi ex toto corde & manifeſta confeſſione peccati pœnitentiam agant *c*, ſacramenti cœleſtis gratiam refundendam.

1 ¶ Sedem ] *Apud B. Ambroſium legitur,* fidem, *quod ob gloſſam non eſt mutatum: ſed multa alia ſunt emendata.*

C. LIII.

Idem *lib. 2. de pœnitentia, c. 7.*

5 QVantuslibet ergo mortui fœtor, aboletur omnis,
ps ubi ſacrum redoleverit unguentum: & ſurgit defunctus: & ſolvi 1 jubentur ejus vincula, qui adhuc in peccato eſt: tollitur velamen de facie ejus, quod veritatem gratiæ, quam acceperat, obumbrabat. Sed quia venia donatus eſt, revelare faciem, aperire vultum jubetur. Non habet enim quod erubeſcat, cui peccatum dimiſſum eſt. In tanta verò Domini gratia, tantoque divini muneris miraculo cùm oporteret univerſos lætari *d*, commovebantur impii, & adverſus Chriſtum concilium congerebant, Lazarum quoque interficere volebant. Nonne meritò eorum ſucceſſores vos fore cognoſcitis, quorum duritiæ hæredes eſtis? Nam & vos indignamini, & contra eccleſiam congregatis concilium, quia videtis mortuos in eccleſia reviviſcere, & peccatorum indulta venia reſuſcitari. Itaque (quod in vobis eſt) per invidiam rurſus vultis interficere ſuſcitatos. Sed Ieſus non revocat beneficia, imo cumulo ſuæ liberalitatis amplificat, reviſit ſollicitè ſuſcitatum, & celebrata *e* reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit, quam ei ſua præparavit eccleſia, in qua ille qui fuerat mortuus, unus inter diſcumbentes cum Chriſto invenitur.

1 ¶ Solvi jubentur ] *In originali impreſſo legitur,* & ſolvere jubentur ejus vincula, quæ adhuc in peccato ſunt, & tollere velamen, &c. *Alia verò ex eodem ſunt emendata, & addita nonnulla.*

C. LIV.

Idem *ibidem, cap. 4.*

IIs poteſtatis *f* ſuæ gratiam negat, (quæ in remiſſionem peccatorum eſt,) qui cœleſtem ejus poteſtatem diabolico 1 fultam ſuffragio vindicarent. Eosque aſſerit diabolico uti Spiritu, qui ſepararent eccleſiam Dei: ut omnium temporum hæreticos & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat: quia omne peccatum circa ſingulos eſt, ac univerſos 2. *& ſ. cap. 5.* ¶ Quid mirum, ſi ſalutem negatis aliis, qui veſtram recuſatis? licet 3 & illi nihil à vobis differant, qui à vobis pœnitentiam petunt. Arbitror enim quod etiam Iudas potuiſſet tanta Dei miſeratione non excludi à venia, ſi pœnitentiam non apud Iudæos, ſed apud Chriſtum geſſiſſet *a*. *& paulo poſt.* ¶ Qui agit pœnitentiam, non ſolùm diluere lachrimis debet peccatum ſuum, ſed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta ſuperiora, ut non imputetur ei peccatum.

1 ¶ Diabolico ] *Addita hic ſunt nonnulla ex B. Ambroſio, quæ deeſſe videbantur. Antea enim legebatur,* qui cœleſtem poteſtatem diabolico Spiritu ſeparant ab eccleſia Dei, ut omnium, &c.

2 ¶ Ac univerſos ] *In originali eſt,* hoc in univerſos. *Sed ob gloſſam non eſt mutatum.*

3 ¶ Licet & illi ] *In aliquot vetuſtis codicibus, & originali legitur,* licet illi nihil differant. *Sed auctor gloſſæ videtur habuiſſe, ut in vulgatis Gratiani.*

C. LV.

Idem *in eod. 2. libro, c. 9.*

6 NOnnulli ideò poſcunt pœnitentiam, ut ſtatim ſibi
ps reddi communionem velint. Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm ſacerdotem ligare. Suam enim conſcientiam non exuunt, ſacerdotis induunt: cui *b* præceptum eſt. [Nolite *c* ſanctum dare canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos:] hoc eſt, immundis Spiritibus *d* ſacræ communionis non impendenda conſortia.

C. LVI.

Idem *ibid.*

SVnt qui arbitrentur hoc eſſe pœnitentiam, ſi abſtineant à ſacramentis cœleſtibus. Hi ſæviores in ſe judices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, declinant remedium; quos vel pœnam ſuam conveniebat dolere, quia cœleſti fraudarentur gratia. *& cap. 10.* ¶ Facilius autem inveni, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam, ubi 1 acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effuſio, ubi ipſius copulæ conjugalis uſus. Renuntiandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum, quàm natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus, vivendum ita, ut in 2 tali vita huic moriatur uſui, ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur. *& infrà cap. 11.* ¶ Nemo in peccatis *e* poſitus arrogare ſibi debet auctoritatem aut uſurpationem ſacramentorum: quia ſcriptum eſt: [Peccaſti? quieſce.] *& paulò poſt.* ¶ Dicimus *f* ergo & agendam pœnitentiam, & eo agendam tempore, quo culpæ deferveſcat luxuria, & in captivitate peccati poſitos, reverentiores nos, non uſurpatores eſſe debere. Nam ſi Moyſi *g* propius accedere geſtienti, ut cognitionem myſterii cœleſtis hauriret, dicitur: [Solve calceamentum pedum tuorum:] quantò magis nos animæ noſtræ pedes exuere vinculis corporalibus, & greſſus omnes mundi iſtius nexu debemus abſolvere? *& paulò ſuperius.* ¶ Nihil eſt, quod tam ſummo dolori ſit, quàm ſi unuſquiſque poſitus ſub captivitate peccati recordatur unde lapſus ſit, atque unde deciderit, & quòd ad corporea *h*, atque terrena ab illa ſpecioſa, & pulchra divinæ cognitionis intentione deflexerit.

1 ¶ Vbi acquirendæ ] *Locus integer B. Ambroſii hic eſt:* An quiſquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effuſio, vel ipſius copulæ conjugalis uſus? *Sed gloſſ. in verſ.* acquirendæ, *obſtitit, ne hic emendaretur. Multa autem alia ſunt emendata.*

2 ¶ Vt in tali vita ] *In originali eſt,* ut vitali huic moriatur uſui. *Sed gloſſa obſtitit, ne mutaretur.*

C. LVII.

*Item* Cyprianus *Epiſcopus lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum.*

MIror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe, ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœni-

a *Pſal. 76.* b *Ioan. 13.* c *al. gerant.* d *Ioan. 12.* e *al. celebrata.* f *Anſ. l. 1. c. 171.*

a *al. egiſſet.* b *abeſt ab orig.* c *Matt. 7.* d *impuritatibus.* e *al. peccato. Eccl. 21. Gen. 4. ſecundùm 70.* f *Didicimus.* ] *orig.* g *Exod. 3. Act. 12.* h *al. corpoream atq; terrenam.*

tentibus

tentibus exiſtiment veniam denegandam, cùm ſcriptum a ſit: [Memento, unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera.] Quod utique ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur per opera rurſus exurgere: quia ſcriptum eſt: b [Eleemoſyna à morte liberat:] & non utiq; ab illa morte, quam ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & à qua nos ſalutaris baptiſmi & redemptoris noſtri gratia liberavit: ſed ab ea, quæ per delicta poſtmodum ſerpit.

## C. LVIII.

*Item* Hieronymus *Damaſo.*

IMportuna c in Evangelio mulier tandem meruit audiri: & clauſo cum ſeris d oſtio, media licet nocte, ab amico panes amicus accepit: Deus ipſe, qui nullis contra ſe viribus ſuperari poteſt, publicani e precibus vincitur. Ninive civitas, quæ peccato periit, fletibus ſtetit. Quorſum iſta tam longo repetita principio? videlicet ut parvum magnus aſpicias, ut dives f paſtor morbidam non contemnas ovem. g Chriſtus in paradiſum de cruce latronem intulit, & ne quis aliquando ſeram converſionem putaret, fecit homicidii pœnam martyrium. Chriſtus h, inquam, prodigum filium revertentem lætus amplectitur; & i nonaginta novem pecudibus derelictis, una ovicula, quæ remanſerat, humeris boni paſtoris advehitur. ¶ Vbi 1 verò peccator intelligens vulnus ſuum tradit medico ſe curandum, ibi non eſt virga neceſſaria, ſed Spiritus lenitatis.

1 ¶ Vbi verò] *Hæc uſque ad finem non ſunt inventa apud* B. Hieronymum.

3 pars. *Quod autem omni peccanti auctoritate Ambroſii venia promittitur, falſum videtur. Quibuſdam enim venia denegatur, aut ex magnitudine peccati, aut ex gradu officii. Vnde Ioannes in epiſtola ſua:* k *[Eſt peccatum ad mortem: quis* l *orabit pro eo?] Alibi m quoque legitur: [Quis medebitur incantatori vulnerato à ſerpente?]*

## C. LIX.

Idem.

SI ſacerdos peccaverit, quis orabit pro eo?

¶ *Primo Regnorum lib. 1. cap. 2. legitur:* Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus. Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo? *& ſic affertur à B. Ambroſio lib. 1. de pœnitentia. cap. 8. & aliis Patribus. B. tamen Gregorius in cap. 2. primi Reg. cap. 3. ex hac ipſa vulgata lectione elicit ſententiam, quam nunc affert Gratianus, ut notatum eſt ſup. diſt. 50. c. dicitum.*

*Sed hujuſmodi interrogationes non ſemper negationem inferunt, ſed potius difficultatem, vel raritatem notant, ut eſt illud Evangelii:* n *[Quis, putas, eſt fidelis ſervus & prudens, &c.] Hinc etiam Ambroſius:* o *[Deus, quis ſimilis tibi? non utique nullus; quia imago patris filius eſt.] Similiter igitur accipiendum [quis* p *orabit pro eo?] hoc eſt, ſingularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Dominum. & infra.* q *[Nam quomodo Ioannes* r *diceret non orandum pro delicto graviore, qui legiſſet Moyſem rogaſſe, & impetraſſe, ubi erat prævaricatio voluntaria? qui ſciret etiam Hieremiam rogaſſe?] Poteſt etiam ſecundum Auguſtinum* s *aliter intelligi illud Ioannis: [Eſt peccatum ad mortem, &c.] ut nulla ſit ipſius, & ſuperiorum contrarietas. Ait enim: [Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.] De quo peccato, quoniam non expreſſum eſt, poſſunt multa & diverſa ſentiri. Ego autem dico id eſſe peccatum, fidem, quæ per dilectionem operatur, deſerere uſque ad mortem. Hæc eſt etiam blaſphemia in Spiritum Sanctum, quam neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittendam Dominus in Evangelio aſſerit. Sive autem delectatione peccati, ſive deſperatione veniæ, uſq; ad mortem quis in peccato perſeveret, juſtum eſt, ut ſine fine puniatur, qui ſine fine peccaverit.*

a *Apocal. 2.* b *Tob. 4.* c *Luc. 18. & 11.* d *ſervis.] orig.* e *Luc. 18.* f *Ioan. 10.* g *Luc. 23.* h *Luc. 15.* i *Matth. 18.* k *1. Ioan. 5.* l *non pro eo dico, ut roget quis.] orig.* m *Eccl. c. 12.] orig.* n *Matt. 24.* o *Lib. 1. de pœn. c. 8.* p *Pſ. 82.* q *Ibid. c. 9.* r *Exod. 32. 2. Mach. ult.* s *De correp. & gratia c. 12.* t *1. Ioan. 5.*

## C. LX.

*Vnde* Gregorius Papa, *lib. 4. dial. cap. 43.*

VOluiſſent a iniqui ſi potuiſſent, ſine fine vivere, ut potuiſſent ſine fine peccare. Oſtendunt enim quia in peccato ſemper vivere cupiunt, qui nunquam deſinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo juſtitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant ſupplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

4 pars. *Ex his itaque apparet, quòd ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis, peccatum non remittitur. Nam ſi neceſſe eſt, ut iniquitates noſtras dicamus, ut poſtea juſtificemur; ſi nemo poteſt juſtificari à peccato, niſi antea confeſſus fuerit peccatum, ſi confeſſio paradiſum aperit, veniam acquirit, ſi illa ſolum confeſſio utilis eſt, quæ fit cum pœnitentia (in quo notatur aliud eſſe confeſſio, aliud pœnitentia, ſive interior, ſive exterior accipiatur,) ſi ille, qui promittit veniam occulte apud Deum, non apud eccleſiam pœnitentiam agenti, fruſtratur* b *Evangelium,* c *& claves datas eccleſiæ: promittit etiam, quod Deus negat delinquenti, ſi nemo poteſt conſequi veniam, niſi quantulamcunque, etſi minorem, quàm debeat peccatis ſolverit pœnam; ſi ſolis ſacerdotibus ligandi, ſolvendiq; poteſtas à Deo tradita eſt, ſi nullus veniam accipit, niſi eccleſiæ ſupplicationibus ipſam impetrare contendat. Concluditur ergo, quòd nullus ante confeſſionem oris, & ſatisfactionem operis, peccati abolet culpam. Denique, ut perſpicuè appareat neminem ſine confeſſione à peccato mundari, ab ipſius humani generis principio ſumamus exordium. Peccato tranſgreſſionis primi parentes corrupti, à Domino ſunt* d *requiſiti de culpa, ut peccatum, quod tranſgrediendo commiſerant, confitendo delerent. Serpens autem de culpa requiſitus non eſt, quia per confeſſionem non revocabatur ad vitam. Cain* e *quoque, cum primæ prævaricationi fratricidium addidiſſet, ſimiliter à Domino de culpa requiſitus eſt, dum ei dicitur: [Vbi eſt Abel frater tuus?] Sed quia ſuperbus peccatum ſuum confiteri noluit, potius mendaciter negando, Deum fallere conatus eſt, dicens: [Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?] indignus venia judicatus eſt. Vnde in deſperationis profundum merſus eſt, dum ait, [Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear.] vagus & profugus exit à facie Domini, ſignificans eos, qui peccata ſua confiteri diſſimulant, reſpectu divinæ miſerationis, indignos haberi. Reges* f *quoque, qui ignorantia ducti in Abraham deliquerant, non niſi eodem orante ſanari meruerunt. In quo figuratur, quòd paſſiones morum non ſanentur, niſi orationibus eccleſiæ. Moyſi* g *quoq; præcipit Dominus, ut lepra ſive in cute, ſive in domo, ſive in veſte, ſive in crine appareret, ſacerdoti oſtenderetur, & juxta ejus arbitrium ſeparata, ejus judicio contaminaretur vel mundaretur. Saul* h *quoque cùm à Spiritu maligno vexaretur, non poterat ad ſanæ mentis officium redire, niſi prius David Pſalterium arriperet, & coram eo pſalleret, & ita ab ejus vexatione ceſſaret diabolus. In quo myſticè oſtenditur, quòd quicunque diabolo propter peccata mancipatur, ab ejus dominio eripi non valet, niſi David, id eſt, eccleſia, Pſalterium accipiat, & coram eo pſallat, id eſt, ſpiritualis gratiæ eum participem faciat, & ſalubriter admonendo, & piè pro eo orando, & exempla boni operis ſibi præbendo, diabolum ab inviſibili ejus vexatione compeſcat. David quoque cum adulterium commiſiſſet, & homicidium, non antè audivit* i *à Propheta: [Tranſtulit à te peccatum tuum Dominus,] quàm ipſum peccatum confiteretur. Prius enim Prophetæ peccatum redarguenti confeſſus eſt, & poſtea audivit: [Tranſtulit Dominus peccatum tuum à te.] Achab* k *quoque, cùm de innocentis ſanguinis effuſione ſententiam comminantis Dei audiret, induit ſeipſum cilicio, ſatisfaciens Deo per pœnitentiam. Vnde Dominus ad Heliam ait: [Quoniam Achab reveritus eſt faciem meam, non inducam malum in diebus ejus.] Ninivitæ* l *cùm audirent; [Adhuc quadraginta dies, Ninive ſubvertetur,] ex edicto Regis & Principum pœnitentiam egerunt, dicentes: [Quis*

a *Anſ. l. 11. c. 135.* b *al. fruſtrat.* c *Matth. 16.* d *Gen. 3.* e *Gen. 4.* f *Gen. 12. & 26.* g *Levit. 13. & 14.* h *1. Reg. 16.* i *2. Reg. 12.* k *3. Reg. 2.* l *Ion. 3.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ſcit, ſi convertatur, & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem?]* hac humilitate ſatisfactionis a imminentem ſubverſionem evadere meruerunt. *Quorum exemplis evidenter oſtenditur, quòd nullus à Deo conſequatur veniam, niſi primum ſatisfecerit ſibi per pœnitentiam. Nabuchodonoſor* b *quoque propter ſuperbiam ſuam à rationabili* c *mente in beſtialem animum commutatus eſt, atque à regno ſuo profugus recedens, non ante regnum recepit, quàm converſus Deum prædicavit. Denique plebs Iſraelitica ob culpam ſuæ tranſgreſſionis captivitati tradita, non antè liberari meruit, quàm ſua peccata confitens, Danielis* d, *& aliorum ſanctorum precibus veniam accepit. In Evangelio* e *quoque venientes ad Ioannem, ut baptizarentur ab eo, baptiſmo pœnitentiæ, primùm confitebantur peccata ſua, oſtendentes, quòd quiſque debet peccata ſua damnanda confiteri, & innovationem melioris vitæ promittere, ſi regenerationis deſiderat gratiam accipere. Chriſtus quoque alios legitur ſuſcitaſſe* f *à mortuis, alios a lepra* g *mundaſſe, alios illuminaſſe,* h *aliorum membra paralyſi* i *diſſoluta conſolidaſſe: omnium tamen ſanitatem petitio propria vocis, vel amicorum legitur præceſſiſſe. Lucâ* k *enim referente didicimus, quòd pro ſocru Petri prius rogatus eſt, quàm eam ſanitati redderet. Leproſus* l *verò ille, quem Dominus deſcendens de monte mundavit, prius clamavit ad eum. [Domine ſi vis, potes me mundare.] quem poſtea tangendo mundavit. Cæcus* m *quoque dum clamaret ad eum: [Miſerere mei fili David.] interrogavit eum Ieſus. [Quid vis, ut faciam tibi?] ait [Rabboni, ut videam lumen.] Tres* n *quoque mortuos audivit, quos aliorum orationibus reddidit vitæ. Quartum quoque diſcipulo nuntiante audivit: ſed quia defuerunt vivi, qui pro eo precarentur, reſuſcitari non meruit. ¶ Quibus nimirum exemplis evidentiſſimè datur intelligi, quòd ille, quem gravioris culpæ macula inficit, niſi confeſſione proprii oris, vel eccleſiæ interceſſione ſuffragante, ſanari non poterit. Hinc pœnitens ille* o, *qui prius tacendo peccata, flagellari meruerat, poſtea correptus dicebat, [Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die] Hinc Chriſtus ex perſona membrorum ait:* p *[Non abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.] Quod Auguſtinus* q *exponit, dicens: [Puteus eſt humanæ iniquitatis profunditas, in quem ſi cecideris, non claudet ſuper te os ſuum, ſi tu non clauſeris os tuum: confitere ergo, & dic, De* r *profundis clamavi ad te Domine, & evades. Claudet ſuper illum Dominus, qui in profundo contemnit, à quo mortuo, velut ab eo, qui non ſit, perit confeſſio.] Hinc idem Propheta ait:* s *(Introite portas ejus in confeſſione.) Oſtendens ad portas miſericordiæ non niſi per confeſſionem peccati aliquem poſſe pertingere. Hinc beatus* t *Ioannes Baptiſta, & Salvator noſter exordium prædicationis ſuæ à pœnitentia ſumpſerunt, dicentes: (Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum:) oſtendentes ad regna cœlorum neminem poſſe pertingere, niſi primum per pœnitentiam Deo curaverit ſatisfacere. Hinc etiam in actibus* u *Apoſtolorum legitur, quòd credentes veniebant ad Apoſtolos, annuntiantes actus ſuos. Ex his omnibus facilè monſtratur, ſine confeſſione nullum veniam poſſe promereri.*

C. LXI.

*Hinc etiam* Leo Papa *ait epiſt. 78. al. 80. ad Epiſcopos Campaniæ.*

SVfficit *x* pœnitenti *y* illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam ſacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.

a *aliter & ſatisfactione.* b *Daniel, 4.* c *alit. rationali. Sup. 17. quæſt. 4. miror.* d *Dan. 9.* e *Ioann. 11.* f *Ioann. 11.* g *Luc. 17.* h *Matth. 9.* i *Marc. 2. Matth. 9.* k *Luc. 4.* l *Matth. 8. Marc. 1. Luc. 5.* m *Marc. 10. Luc. 18.* n *Luc. 7. Ioann. 11.* o *Pſal. 31.* p *Pſal. 68.* q *Gloſſ. interl. & ordin. ibi ex Auguſtin. Sentent. 4. diſtinct. 17.* r *Pſal. 129. Proverb. 19. Eccleſiaſtic. 17.* s *Pſalm 39.* t *Matth. 3.* u *Actor. 19.* x *Infra ead. c. quamvis. Polyc. lib. 6. tit. 20. Ivo part. 16. cap. 167.* y *al. enim.] orig.*

C. LXII.

Item *ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, epiſt. 90. al. 92. cap. 7.*

POenitentia *a*, quæ dilata eſt, cùm ſtudioſius petita fuerit, non negetur, ut quoquo modo ad indulgentiæ medicinam anima vulnerata perveniat.

C. LXIII.

*Item* Auguſtinus *in ſermone de pœnitentia, al. lib. de pœnitentiæ medicana.*

NOn *b* ſufficit mores in melius commutare, & à præteritis *c* malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis & jejuniis 1.

1 ¶ Et jejuniis [ *Hoc non eſt apud B. Auguſtinum, neque Bedam, neq; Magiſtrum ſententiarum, neq; Polycarpum.*

C. LXIV.

*Item* Ambroſius *in c. 1. Lucæ.*

NOvit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noveris emendare delictum.

C. LXV.

*Item* Leo Papa, *epiſt. 90. al. 91. ad Ruſticum, c. 8.*

ALiud *d* quidem eſt debita juſtè *e* repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere. Sed illicitorum veniam poſtulantem oportet à multis etiam licitis abſtinere, dicente Apoſtolo: *f* [Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.] Vnde ſi quis pœnitens habet cauſam, quam negligere fortè non debeat, melius expedit eccleſiaſticum, quàm forenſe judicium.

C. LXVI.

*Item* Hieronymus *in c. 1. Ioelis.*

QVi ſanctus *g* ſacerdos eſt, & comedit *h* in Paſcha Domini, accingatur baltheo caſtitatis, & audiat cum Apoſtolis: [Sint *i* lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.] Qui autem peccator eſt, & quem remordet propria conſcientia, cilicio accingatur, & plangat vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus, & cubet, vel dormiat in ſacco, ut præteritas delitias, per quas offenderat Deum, vitæ auſteritate compenſet.

C. LXVII.

Idem *in Amos Prophetam, ad c. 9.*

SI agamus pœnitentiam, ipſum quoque ſuæ pœnitebit ſententiæ. Rurſum juxta eundem Hieremiam *k* 1 promittit proſpera. Si negligentia diſſolvamur, illum pœnitebit ſponſionis ſuæ, promiſſaq; mutabit. Cujus rei exemplum Ninivitas, & Hieruſalem habere poſſumus, quorum alii de imminentibus ſuppliciis liberati ſunt, alii, quæ patribus promiſſa fuerant, perdiderunt.

1 ¶ Hieremiam ] *Sic eſt emendatum ex ipſis commentariis B. Hieronymi, & uno vetuſto exemplari Gratiani. Nam in cæteris eſt, quemadmodum in vulgatis,* juxta eundem Hieronymum promittit proſpera, ſi pœnitentiam egerimus. Quòd ſi negligentia, &c.

C. LXVIII.

Idem *ſuper Danielem, ad cap. 4.*

QVamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum, forſitan ignoſcet Deus delictis tuis.] ¶ Si prædixit ſententiam Dei, quæ mutari non poteſt, quomodo hortatur ad eleemoſynas, & miſericordias pauperum, ut Dei ſententia commutetur? Quod facilè ſolvitur Ezechiæ *l* Regis exemplo (quem

a *Burch. lib. 9. c. 123. Ivo part. 15. c. 135.* b *Beda 2. Corint. 5. in Sent. 4. diſt. 16. Polyc. l. 6. tit. 20.* c *al. factis.* d *11. quæſt. 1. ad. Anſ. lib. 11. c. 141.* e *al. juſta.* f *1. Corinth. 6.* g *Sent. 4. diſt. 17.* h *al. comedit Paſcha.] orig.* i *Luc. 12.* k *Hier. 18.* l *4. Reg. 20.*

Eſaias

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eſaias *a* dixerat eſſe moriturum) & Ninivitarum *b*, quibus dictum eſt, [adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur.] Et tamen ad preces Ezechiæ, & Ninive, Dei ſententia commutata 1 eſt, non vanitate judicii, ſed eorum converſione, qui meruere indulgentiam. Alioquin & in reverentiam *c* loquitur Deus ſe mala minari ſuper gentem, & ſi bona fecerit, minas clementia commutare. Rurſum bona agēti ſe aſſerit polliceri indulgentiam: et ſi malè fecerit, dicit ſe ſuam mutare ſententiam, non in homines ſed in opera, quæ mutata ſunt. Neq; enim Deus hominibus, ſed vitiis iraſcitur: quæ cùm in homine non fuerint, nequaquam punit, quod mutatum eſt. Dicamus & aliter. Fecit *d* quidem Nabuchodonoſor juxta Danielis conſilium miſericordias in pauperes, & idcirco uſque ad menſem duodecimum in eum eſt dilata ſententia. Sed quia poſtea ambulans in aula Babylonis gloriatur, & dicit: [Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria nominis mei?] bonum miſericordiæ perdidit malo ſuperbiæ. [forſan ignoſcet Deus delictis tuis.] Cùm beatus Daniel præſcius futurorum de ſententia Dei dubitet, rem temerariam faciunt, qui audacter peccatoribus indulgentiam pollicentur. Et tamen ſciendum, quòd ſi Nabuchodonoſor bona opera facienti, venia repromittitur, multò magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiſerunt.

1 ¶ Commutata eſt] *Quæ ſequuntur, ut etiam multa alia, emendata & locupletata ſunt ex originali, præter verbum,* reverentiam (*quod eſſe debet,* Hieremia,) *idq; ob gloſſam.*

C. LXIX.

Idem.

Vide *e* benignum Dominum miſericordiam cum ſeveritate miſcentem, & ipſius pœnæ modum juſta & clementi libratione 1 penſantem. Non in perpetuum tradidit pœnæ delinquentes, ſed [quanto 2, inquit, tempore ſervierunt Balaam, tanto ſerviant Chuſarſaton *f*.] hoc eſt, octo annis. Diſce & hoc, ô tu auditor, quiſquis ille es, qui tibi conſcius es alicujus erroris: & quanto tempore erraſſe te noſti, quanto tempore deliquiſti, tanto nihilominus tempore humilia teipſum Deo, & ſatisfacito ei in confeſſione pœnitentiæ: non expectes, ut humiliet te Chuſarſaton, & invito neceſſitas extorqueat pœnitentiam: ſed ipſe præveni tortoris iſtius duritiam *g*: quia ſi te ipſe emendaveris, ſi te ipſe correxeris, pius eſt Deus, & miſericors, qui vindictam temperet ab eo, qui illam pœnitendo prævenit. Sed illud conſideremus, quia donec ſervierunt Chuſarſatoni, qui traditi fuerant pro delictis ſuis, & non clamaverunt ad Dominum, nemo ſuſcitatus eſt, qui ſalvare eos poſſet. Cùm vero clamaverunt ad Dominum, tunc ſuſcitavit Dominus Salvatorem Iſrael, & ſalvavit eos.

1 ¶ Libratione] *Antea legebatur*, deliberatione. *Emendatum eſt ex homilia Origenis, quemadmodum & alia nonnulla.*

2 ¶ Quanto] *Hæc pars videtur potius ſumpta ex gloſſa ordinaria, quàm ex ipſo Origene.*

C. LXX.

Idem Hieronymus *in c. 5. epiſtolæ ad Epheſios.*

Eccleſia Chriſti glorioſa eſt, non habens maculam neque rugam, aut aliquid iſtiuſmodi. Qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici. Poſſibile autem eſt, ut quomodo eccleſia, quæ prius rugam habuit & maculam 1, in juventutem, & munditiam poſtea reſtituta eſt, ita & peccator currat ad medicum:

a *Eſa. 38.* b *Ion. 3.* c *Hieremia.*] *orig. vera lectio.* d *Dan. 4.* e *Origenes homil. 3. ad c. 3. Iudicum, & ibi gloſſ. ordinar.* f *alit. Chuſanſathaim.* g *al. manus.*

quia non *a* habent opus ſani medico, ſed male habentes, ut curentur vulnera ipſorum, & fiant de eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti.

1 ¶ Et maculam] *Reſtitutus eſt locus ex originali. Antea legebatur,* & maculam, & immunditiam, & poſtea reſtituta eſt.

C. LXXI.

Idem *in c. 1. Amos.*

Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum. Iuxta tropologiam hoc poſſumus dicere. Primum peccatum eſt cogitaſſe, quæ mala ſunt. Secundum, cogitationibus acquieviſſe perverſis. Tertium, quod mente decreveris, opere compleviſſe. Quartum, poſt peccatum non agere pœnitentiam, & in ſuo ſibi complacere delicto.

C. LXXII.

Idem *epiſt. 50. ad Pammachium & Oceanum.*

Secunda *b* poſt naufragium tabula eſt, culpam ſimpliciter confiteri. Imitati eſtis errantem, imitamini & correctum. Erravimus juvenes, emendemur ſenes: jungamus gemitus, lachrymas copulemus.

C. LXXIII.

Idem.

Quia *c* divinitatis natura clemens eſt, & pia, magiſque ad indulgentiam, quàm ad vindictam prona, quia non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat: ſi quis poſt lapſum peccatorum ad veram pœnitentiam ſe convertit, citò à miſericorde judice veniam impetrabit.

¶ *Caput hoc eſt in commentariis ad c. 3. lamentationum Hieremiæ, qui non ſunt B. Hieronymi, ſed Rabani.*

C. LXXIV.

Idem *in c. 12. Oſeæ.*

Ne fortè peccati memores tardius revertantur, [Adhuc, inquit, ſedere vos faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtivitatis:] ut quod facit baptiſma, hoc faciat pœnitentia, & habitent in tabernaculis Salvatoris, hoc eſt, in eccleſiis.

¶ *Antea citabatur ex eodem in Malachiam.*

C. LXXV.

Idem *in cap. 9. Danielis.*

Prædixerat *d* Hieremias ſeptuaginta annos deſolationis templi, poſt quos rurſus veniret populus in Iudæam, & ædificaretur templum, & Hieruſalem. Quæ res Danielem non facit negligentem, ſed magis provocat ad rogandum, ut quod Deus per ſuam promiſit clementiam, per horum *e* impleat preces, ne negligentia ſuperbiam, & ſuperbia pariat offenſam. Denique in Geneſi *f* legimus centum viginti annos pœnitentiæ conſtitutos ante diluvium: qui, quia tanto tempore, hoc eſt, centum annis noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam exſpectat, ut & viginti alii compleantur, ſed infert antè, quod poſtea fuerat comminatus. Vnde & ad Hieremiam *g* dicitur ob duritiam cordis populi Iudæorum: [Ne ores pro populo hoc, quia non audiam te.] Et ad Samuel: *h* [uſque quò luges ſuper Saul? & ego abjeci eum.] In cinere igitur, & ſacco poſtulat impleri *i* quod promiſerat Deus, non quo eſſet incredulus futurorum, ſed ne ſecuritas negligentiam, & negligentia pareret offenſam.

C. LXXVI. ¶ *Operibus miſericordiæ Deum non emimus, ſed noſmetipſos redimimus.*

Item Ambroſius *in ſermone in Dominica de Abraham.*

a *Luc. 5.* b *Sent. 4. diſt. 14.* c *Ezech. 18. & 33.* d *Hierem. 29. & 52.* e *al. hujus.* f *Gen. 6.* g *Hier. 7.* h *1. Regum 16.* i *Dan. 9.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MEdicina *a* miſericordiæ tollit peccata magna.] Habemus etiam plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus: pecuniam habes; redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es. Peccatis tuis venundatus es; redime te operibus tuis, redime te pecunia tua: vilis pecunia, ſed pretioſa eſt miſericordia. ¶ Eleemoſyna, inquit, *b* à peccato liberat. Crimina eleemoſynis redimuntur.

¶ *Caput hoc habetur in libro de Helia, & jejunio, & ibi hæc antecedunt:* Et ſi gravia delinquimus, magnum medicum invenimus, magnam medicinam gratiæ ejus accepimus. [Medicina enim tollit peccata magna.] *Abeſt autem vox,* miſericordiæ, *etiam à loco Eccleſiaſtici, c. 10.*

C. LXXVII.

*Item* Ioannes os aureum, *homil. 6. ad c. 6. epiſt. ad Hebræos.*

MEdicamentum fortius quod maximè operatur in pœnitentia, hoc eſt. Sicut in præceptis medicinæ medicamentum multas quidem herbas accipit, unam autem dominantiſſimam; ſic & in pœnitentia dominantior iſta herba, & potentior eſt; & univerſum ipſa efficit. Audi enim quid dicit divina ſcriptura: *c* [Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.]

¶ *Græcè ſic habet.* τὸ γὰρ μάλιστα ἰσχυρὸν ἐργαζόμενον τὸ φάρμακον τῆς μετανοίας, τοῦτό ἐστι. καὶ καθάπερ ἐπὶ τῶν ἰατρικῶν βοηθημάτων ἐστὶ φάρμακον, πολλὰς μὲν λαμβάνον βοτάνας, μίαν δὲ τὴν κυριωτάτην, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς μετανοίας αὕτη ἡ βοτάνη κυριωτέρα, καὶ τὸ πᾶν αὕτη γένοιτο ἄν. *id eſt.* Nam quod maximè validum reddit medicamentum pœnitentiæ, hoc eſt. Et ſicut in medicinalibus auxiliis eſt medicamentum, quod multas quidem herbas recipit, ſed unam præcipuam ac potentiſſimam: ita etiam in pœnitentia hæc ipſa eſt potentior herba, ipſaque omninò totum præſtiterit. Audi, &c.

C. LXXVIII.

*Item* Ambroſius *lib. 1. de pœnitentia, c. 2.*

DEus definitionem *d* non facit, qui miſericordiam ſuam promiſit omnibus, & relaxandi licentiam ſacerdotibus ſuis ſine ulla exceptione conceſſit. Sed qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam. Majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus.

C. LXXIX.

Idem *lib. 2. de pœnit. cap. 10.*

FLeat pro te mater eccleſia, & culpam tuam lachrymis lavet. Videat te Chriſtus mœrentem, ut dicat: *e* [Beati triſtes, quia gaudebitis.] Amat, ut pro uno multi rogent. Deniq; in Evangelio *f* motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium ejus reſuſcitavit.

C. LXXX.

Idem *eodem libro 2. cap. 11.*

ADam poſt culpam ſtatim de paradiſo Deus ejecit. Non diſtulit; ſed ſtatim ſeparavit à delitiis, ut ageret pœnitentiam, ſtatim tunicam veſtivit pelliceam, non ſericam.

C. LXXXI.

*Item* Auguſtinus *in lib. 50.* g *homil. homilia ultima, c. 3.*

5 ps TRes *h* ſunt actiones pœnitentiæ, quas mecum vera eruditio cognoſcit. Sunt enim uſitatæ in eccleſia, & diligenter attendentibus notæ. Vna eſt, quæ novum hominem parturit, donec per baptiſma 1 ſalutare omnium præteritorum fiat ablutio *i* peccatorum. *& paulò poſt.* ¶ Omnis *k* enim qui jam arbiter voluntatis ſuæ conſtitutus eſt, cùm accedit ad ſacramenta fidelium, niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptizantur ſoli parvuli ſunt immunes. Nondum enim uti poſſunt libero arbitrio. Quibus tamen ad conſecrationem, remiſſionemque originalis peccati prodeſt eorum fides, à quibus afferuntur. *& infra cap. 4.* ¶ Altera verò pœnitentia eſt, cujus actio per totam iſtam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua ſupplicationis humilitate ſubeunda eſt. Primò, quia vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque nullus deſiderat, niſi cùm vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortaliſque pœniteat. Non enim ſic quiſque in vitam novam per ſanctificationem baptiſmi naſcitur, ut quemadmodum deponit ibi omnia peccata præterita, ita etiam ſtatim mortalitatem ipſam carnis, corruptionemque deponat. *& infra cap. 5.* ¶ Tertia actio eſt pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait: [quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.] In hac ergo pœnitentia majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus, non judicetur à Deo: ſicut idem Apoſtolus ait: *a* [Si enim noſmetipſos judicaremus, à Domino non utique judicaremur.] *& 2. infra.* ¶ Eſt 3 etiam pœnitentia, bonorum & humilium fidelium pœna *b* quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: *c* [Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.] Neque enim ea nobis dimitti volumus, quæ dimiſſa non dubitamus in baptiſmo; ſed illa utique, quæ humanæ fragilitati quamvis parva, tamen crebra ſubrepunt: quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, ſicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium, utrum uno grandi fluctu carina operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque ſubmergat? Propter hæc, jejunia, & eleemoſynæ, & orationes invigilant: in quibus cùm dicimus: [Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus,] manifeſtamus habere nos, quod nobis dimittatur: atque in his verbis humiliantes animas noſtras, quotidianam quodammodo agere pœnitentiam non ceſſamus.

¶ *Caput hoc confectum eſt ex verbis B. Auguſtini in lib. 50. homil. homilia ultima (quæ etiam habentur ferè eadem in libro de pœnitentiæ medicina, c. 2.) & in epiſtola 108. ad Seleucianum.*

1 ¶ Baptiſma ſalutare] *In homilia legitur,* per baptiſmum ſalutare: *in libro autem de pœnitentiæ medicina,* quæ novum hominem per baptiſmum parturit, donec ſalutis omnium præteritorum peccatorum fiat ablutio.

2 ¶ Et infrà] *Quæ ſequuntur, integrè habentur in epiſtola ad Seleucianum: ſententia tamen, & aliqua verba leguntur etiam in eadem homilia, c. 8. & in libro de pœnitentiæ medicina, eodem cap. 2. ubi de ſecunda actione pœnitentiæ agitur. Referuntur enim ad illam, quæ nunc ſubjiciuntur.*

3 ¶ Eſt etiam] *Antea legebatur.* Eſt enim. *Emendatum eſt ex loco indicato, & duobus vetuſtis Gratiani exemplaribus. Longè enim diverſa eſt hæc pœnitentia à proximè commemorata.*

C. LXXXII.

*Item* Gregorius.

6 ps SI *d* peccatum David tam deteſtabile Dominus tranſtulit, quid eſt, quòd poſt omnia, quæ de eodem peccato per Prophetam à Domino dicta ſunt, poſtmodum tanta toleravit? Sed proculdubio Dominus delictum ſine ultione non deſerit. Aut enim ipſe hoc in ſe pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit. Nequaquam igitur peccato parcitur: quia nullatenus ſine vindicta laxatur. Sic enim David audire poſt confeſſionem meruit: *e* [Dominus tranſtulit

a *Eccleſ. 10. ſecundùm 70.* b *Tob. 12.* c *Luc. 11.* d *al. diſtinctionem.] orig.* e *Matth. 5.* f *Luc. 7.* g *Et in lib. de pœnit. medicina, c. 2.* h *Sent. 4. diſt. 16.* i *al. abolitio.* k *Inſr. de conſecr. diſt. 4. omnis.*

a *Galat. 5. Beda 1. Corinth. 11. De conſecr. diſt. 4. agunt homines.* b *al. pene.* c *Matth. 6.* d *Polyc. l. 6. tit. 20. Anſ. l. 11. c. 115.* e *2. Reg. 12.*

peccatum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

peccatum tuum,] & tamen poſt multis cruciatibus afflictus, ac fugiens, reatum culpæ, quam perpetraverat, exolvit. Sic nos ſalutis unda à culpa primi hominis abſolvimur. Sed tamen reatum ejusdem culpæ diluentes, abſoluti quoque adhuc carnaliter obimus 1, quia delicta noſtra, ſive per nos, ſive per ſemetipſum reſecat etiam, cùm relaxat. Ab electis enim ſuis iniquitatum maculas ſtudet temporali afflictione tergere, quas in perpetuum non vult in eis videre. *a*

¶ *Caput hoc integrum quidem habetur in commentariis, qui nomine Eucherii ſunt editi, l.2. Reg.c.8. ſed magnam quoq; partem apud B. Gregorium l.9. moralium, c.27.*

1 ¶ Obimus] *Apud B. Gregorium ſequitur*, Bene ergo dicitur [ſciens, quòd non parceres delinquenti] quia, &c. *repetit enim ipſe verba illa Iob ſibi ad interpretandum propoſita. Eucherius autem habet ut Gratianus.*

C. LXXXIII.

Item Auguſtinus *de peccatorum meritis, & remiſſ. l.2. c.34.*

SIcut primi homines poſtea juſtè vivendo meritò creduntur per Domini ſanguinem ab extremo judicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradiſum revocari: ſic & caro peccati, etiamſi remiſſis peccatis homo in ea juſtè vixerit, non continuò mereatur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis inſinuatum eſt de Patriarcha David in libro Regnorum *b*: ad quem Propheta cùm miſſus eſſet, eique propter peccatum, quod admiſerat eventura mala ex iracundia Dei comminaretur, confeſſione peccati veniam meruit; reſpondente Propheta, quòd illud ei flagitium, facinusque remiſſum ſit: & tamen conſecuta ſunt, quæ Deus fuerat comminatus, ut ſic humiliaretur à filio. Quare 1 & nunc dicitur, ſi Deus propter peccatum illud fuerat comminatus, cur dimiſſo peccato, quod erat minatus, implevit? niſi quia rectiſſime, ſi ſic dictum fuerit, reſpondebitur, remiſſionem illam peccati factam, ne homo à percipienda vita impediretur æterna: ſubſecutum verò illius comminationis effectum, ut pietas hominis in illa humilitate exerceretur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit: & poſt peccatorum remiſſionem propter exercendam juſtitiam non ademit.

1 ¶ Quare & nunc] *In originali legitur*, Quare & hic non dicitur. *Sed ob gloſſam non eſt mutatum. Alia verò multa ex eodem ſunt emendata.*

C. LXXXIV. ¶ *Doloris menſura potius quàm temporis in actione pœnitentiæ conſideranda eſt.*

Idem in *c homilia de pœnitentia.*

IN actione pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is, qui commiſit, à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. [Cor *d* enim contritum, & humiliatum Deus non ſpernit.] Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus eſt alteri; neque in aliorum notitiam niſi 1 per verba vel quæcunque alia ſigna procedit; cùm ſit coram illo, cui dicitur: [gemitus meus à te non eſt abſconditus,] rectè conſtituuntur ab his, qui eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, ut ſatisfiat etiam eccleſiæ, in qua remittuntur ipſa peccata: Extra *e* eam quippe non remittuntur. Ergo 2 cùm tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi; ut medicamenta corporis & ſanguinis Domini differenda ſint, auctoritate antiſtitis debet ab altario removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari.

1 ¶ Niſi per verba] *Ab originali abeſt dictio*, niſi, *ſed habita eſt ratio gloſſæ.*

2 ¶ Ergo] *Hæc non ſunt in Enchiridio, ſed in epiſt. 118. ad Ianuarium, ſub alterius perſona. Ita enim loquitur.* Alius contrà: imò, inquit, ſi tanta eſt plaga peccati, &c.

C. LXXXV.

Idem *in a eadem homilia quinquageſima, ca. 11.*

IVdicet *b* ſeipſum homo in iſtis voluntate, dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cùm jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ *c* ſententiam, veniat ad antiſtites per quos illi claves in eccleſia miniſtrantur, & tanquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio contribulati cordis devotus & ſupplex, id tamen agat, quod non ſolùm ipſi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum: ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto *d* ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati eccleſiæ videtur antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. *& infrà.* ¶ Multi *e* enim corriguntur, ut Petrus: multi tolerantur, ut Iudas, &c.

C. LXXXVI. ¶ *Mortificatio vitiorum magis quàm abſtinentia ciborum pœnitenti neceſſaria eſt.*

*Item* Hieronymus.

MEnſuram *f* autem temporis in agenda pœnitentia idcirco non ſatis apertè præfigunt canones pro unoquoque crimine, ut de ſingulis dicant, qualiter unumquodque emendandum ſit, ſed magis in arbitrio ſacerdotis intelligentis relinquendum ſtatuunt, quia apud Deum non tam valet menſura temporis, quàm doloris: nec abſtinentia tantùm ciborum, quàm mortificatio vitiorum. Propter quod ipſa tempora pœnitentiæ pro fide & converſatione pœnitentium abbrevianda præcipiunt & pro negligentia protelanda. Extant tamen pro quibusdam culpis pœnitentiæ modi impoſiti, juxta quos cæteræ perpendenda ſunt culpæ, cùm ſit facile per eosdem modos vindictam & cenſuram canonum æſtimare.

¶ *Caput hoc, quod Burchardus etiam & Ivo citant ex dictis B. Hieronymi, beatus Rhenanus, in ſuis annotationibus in Tertullianum teſtatur ſe legiſſe in antiquo pœnitentiali. Et ex eo, ac cæteris collectoribus nonnulla ſunt emendata, & poſtrema clauſula etiam aucta. Sententia autem habetur etiam 7. cap. 21. & in epiſtola Baſilii ad Amphilochium, cap. 2. & in ſynodo Metenſi, anni 859. cap. 10.*

C. LXXXVII.

*Item* Ioannes Chryſoſtomus: [*id eſt, auctor operis imperfecti in Matthæum, homilia 40.*]

QVis aliquando vidit clericum citò pœnitentiam agentem? Sed & ſi deprehenſus humiliaverit ſe, non adeo dolet, quia peccavit, ſed confunditur, quia perdidit gloriam ſuam.

*His g auctoritatibus aſſeritur neminem ſine pœnitentia & confeſſione propria vocis a peccatis poſſe mundari. Unde præmiſſæ auctoritates, quibus videbatur probari, ſola contritione*

a *al. vindicare.* b *2. Reg. 12.* c *In Enchiridio, cap. 65. Sentent. 4. diſt. 20. Poly. l.6. tit. 20. Anſelm. l.11. c.144. Ivo part. 2. c.4. & p.15. c.25.* d *Pſal. 50.* e *Sent. 4. diſt. 17. Eugyppus, tom. 1. p. 125.*

a *Et in l. de pœnitentia medicina, c.3.* b *Beda ad Eph. 5. Sent. 4. diſt. 17. Ivo p. 15. cap. 24.* c *al. medicina ſed tamen medicinæ ſententiam.* d *abeſt ab orig.* e *2. q. 1. multi.* f *Alcuinus de eccleſiaſticis officiis c. de capite jejunii. Sentent. 4. diſt. 20. Polyc. l.6. tit. 20. Anſelm. l.11. c.145. Burch. l.19. c.31. Ivo p.15. cap. 49.* g *Sent. 4. diſt. 17.*

cordis veniam præſtari, aliter interpretanda ſunt, quàm ab eis exponantur. Negationem a namq; Petri ſecuta eſt ſatisfactio lachrymarum, & trina confeſſio Dominicæ dilectionis, quæ penitus delevit peccatum trinæ negationis. Non ergo neceſſaria ſibi erat certa ſatisfactio peccati, cujus totum vitæ tempus, obedientiæ impendebatur ſui conditoris. Imitabatur enim illud propheticum: b [Declina à malo, & fac bonum.] & illud Eſaiæ: c [Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, &c.] Amplius horum nihil à peccatore exigitur. Non ergo illa auctoritate Leonis Papæ ſatisfactio pœnitentiæ negatur eſſe neceſſaria cuilibet delinquenti, ſed ei tantùm, qui beatum Petrum imitatus, huic ſæculo penitus abrenunciat, & cunctorum vitiorum fomitem in ſe funditus mortificat. Idem illud Ioannis 1 d Chryſoſtomi: [Lavent lachrymæ delictum, quod pudor eſt voce confiteri.] & illud aliud, quod ſcribitur in epiſtola ad Hebræos: e [Non tibi dico, ut te prodas in publicis, neq; ut te apud alios accuſes; ſed obedire te volo Prophetæ dicenti, f revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum judicium cum oratione delicta tua pronuntia, non 2 lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria: & tunc demum ſpera miſericordiam te poſſe conſequi, ſi habueris in mente peccata tua continuè, malum nunquam adverſus proximum tuum in corde retinebis.] non ita intelligendum eſt, ut ſine confeſſione oris peccata dicantur dimitti, ſed ſine publica ſatisfactione. Secreta namq; peccata, ſecreta confeſſione, & occulta ſatisfactione purgantur: nec eſt neceſſe, ut quæ ſemel ſacerdoti confeſſi fuerimus, denuò confiteamur, ſed lingua cordis, non carnis apud judicem verum ea jugiter confiteri debemus. Hinc etiam idem Ioannes Chryſoſtomus g ait: [Nunc autem ſi recorderis peccatorum tuorum, & frequenter 3 ea in conſpectu Dei pronunties, & pro eis clementiam ejus depreceris, citius illa delebis. Si autem nunc obliviſcaris peccatorum tuorum, tunc eorum recordaberis, & nolens, quando in toto mundo publicabuntur, & in conſpectu proferentur omnium tam amicorum tuorum, quàm inimicorum, & ſanctorum Angelorum, cœleſtiumq; virtutum. Non enim ad David ſolùm dicebat: h [Quæ tu ſecretò feciſti, ego cunctis manifeſtabo;] ſed etiam ad omnes nos hoc dicitur. Similiter & illud Proſperi i intelligitur: [Qui crimen ſuum ultrò cognoſcunt, & aut illud propriis confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis, quales occulti ſunt, &c.] [aliis neſcientibus: id eſt, occulta confeſſione iſtis peccatum ſuum confitentibus, non publicè illud manifeſtantibus. Item illud Prophetæ: [Dixi, k confitebor, & tu remiſiſti.] id eſt, remiſſibilem judicaſti l [impietatem peccati mei.] Ita & illud Auguſtini intelligitur: m [Magna pietas Dei, ut ad ſolam promiſſionem peccata dimiſerit, id eſt, remiſſibilia judicaverit.] n Item ibidem. o [Votum pro opere reputatur, cùm deeſt facultas operis.] Unde votum confeſſionis reputatur pro opere vocis, cum deeſt facultas confeſſionis. Item p [voluntas remuneratur, non opus] ita intelligitur, voluntas facit opus remunerabile, non opus voluntatem. Item illud: q [In quacunq; hora peccator converſus fuerit, &c.] converti dicitur, qui omnino vertitur: omninò vertitur, cujus opus, vox, & cogitatio ita mortificationi deſudat peccati, ſicut prius ſervierat iniquitati. Ita intelligitur & illud [convertimini r ad me, &c.] Item: ſ [ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta] eis dicitur, qui nulla interiori ſatisfactione præcedente, ſed ſola exteriori ſe Deum poſſe placare confidunt. Item cuncta quæ de leproſis mundatis, vel de Lazaro reſuſcitato inducuntur, ad contritionem cordis, non ad veniam remiſſionis referenda ſunt. Obſtinatio enim animi, & confeſſionis contemptus, quædam mors eſt impietatis, & lepra ſuperbiæ, à qua quiſq; reviviſcit, dum ſibi per gratiam dolor delicti, & votum confeſſionis inſpiratur. Ad hunc etiam articulum pertinent ea, quæ de viventibus, vel in luce ambulantibus, vel dilectionem Dei habentibus, vel de habitaculis a Spiritus Sancti factis dicta ſunt: ut hæc omnia quiſq; dicatur aſſecutus ex cordis contritione quam habet, non ex plenaria peccati remiſſione, quam nondum invenit. Sicut enim in baptiſmo remittitur peccatum, & tamen ejus pœna reſervatur, ſic per contritionem cordis quiſq; à Deo reſuſcitari dicitur, licet adhuc reatu peccati teneatur. Non ergo præmiſſis auctoritatibus vel argumentis, ſine confeſſione oris, & ſatisfactione operis aliquis probatur à peccato mundari.

2 pars. Econtrà auctoritas illa Ioannis Chryſoſtomi b, & Proſperi c contra mentem auctoris extorta videtur. Non enim dicitur [non dico tibi, ut te publicè accuſes,] ſed [non dico tibi, ut apud alios te accuſes.] Sic & Proſper non ait [omnibus] ſed ſimpliciter [aliis neſcientibus.] Unde evidentiſſime 4 datur intelligi, quòd ſine confeſſione oris peccata poſſunt deleri. Ea verò, quæ ad exhortationem pœnitentiæ & confeſſionis dicta ſunt, non huic ſententiæ contraire videntur. Vel enim ſunt verba exhortationis, non juſſionis, ſicut illud, d (Confitemini alterutrum peccata veſtra, &c.) vel ſi qua jubendo ſunt dicta, non ad oris confeſſionem, ſed cordis; non ad exteriorem ſatisfactionem, ſed interiorem referenda ſunt. Eſt enim pœnitentia alia interior, alia exterior. Interior pœnitentia eſt illa, de qua Auguſtinus ait, (Omnis e, qui ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, non poteſt inchoare novam vitam, niſi pœniteat eum veteris vitæ.) ❡ Item de eadem Petrus in actibus f Apoſtolorum legitur dixiſſe: (Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; veſtrùm.) Quod de interiori pœnitentia, non exteriori dictum accipitur. De exteriori verò pœnitentia Ambroſius ait g ſuper epiſtolam ad Romanos: (Gratia Dei in baptiſmate non quærit gemitum, vel planctum, non opus aliquod, ſed ſolùm contritionem h cordis, & omnia gratis condonat.) ❡ Quæcunq; i ergo de pœnitentia jubendo dicta ſunt, non ad exteriorem, ut diximus, ſed interiorem referenda ſunt, ſine qua nullus unquam Deo reconciliari poterit. ❡ Illud autem Auguſtini, quo quiſq; negatur veniam poſſe conſequi, niſi prius quantulamcunq; peccati ſolverit pœnam, non huic ſententiæ invenitur adverſum. Nullus enim aſſeritur à peccato mundari, niſi peccati paſſus fuerit pœnam. Sed aliud eſt peccatum ſacerdoti confiteri, & ejus arbitrio de peccato ſatisfacere: atq; aliud, Deo corde confiteri, & ſecreta ſatisfactione peccatum in ſeipſo punire. Eſt enim pœnitentia (ut ait k Auguſtinus) dolor cordis, quo quiſq; in ſe punit, quod deliquit. De hac iterum ſatisfactione idem ait in Pſalmum 50. exponens: (Quoniam 5 iniquitatem meam ego cognoſco. Tu ne punias, quia ego punio: ignoſce, quia ego agnoſco.) & infrà: l (Sic Deus miſericordiam dat, ut ſervet veritatem, ut non peccata ejus ſint impunita, cui ignoſcit. Ignoſcit enim ſeipſum punienti. Miſericordia eſt, quòd homo liberatur, veritas, quòd peccatum punitur.) Idem in Pſalmum 84. (Veritas de terra orta eſt) id eſt, confeſſio ab homine, ut ſe accuſet, & ſic juſtitia de cœlo proſpexit, ut publicanus m confitens rediit juſtificatus: juſtitia de cœlo proſpexit: quaſi Deus dicat, parcamus huic, quia non parcit ſibi, ignoſcamus, quia agnoſcit.] & infrà. [De cœlo ergo juſtitia proſpexit, id eſt, à Deo data eſt juſtificatio confitenti.] ❡ Hæc ergo ſecreta ſatisfactio levium, ſive occultorum criminum Deo offerenda eſt, nec ſine pœna relaxari probantur, quæ ſic expiari ostenduntur. Ea verò, quæ de publica ſatisfactione, vel oris confeſſione dicuntur, in publicis & manifeſtis criminibus intelligenda ſunt. Peccata namq; Nabuchodonoſor n, quæ Propheta miſericordiis & eleemoſynis redimi ſuaſit, peccata quoq; Ninivitarum o, quæ publica ſatisfactione expiata ſunt, cunctis nota erant.

a Luc.22. b Pſal.36. c Eſa.55. d Ambroſii ſup. ea c. lavent. Sent.4. diſt.17. e Ioann. Chryſoſtom. homil. 31. in epiſt. ad Hebræos. f Pſalm.36. g In ead.3. hom. h 2. Reg.11. i Sup. ead. facilius. k Pſalm.31. ſup. ead. dixi. l al. indicaſti. m Sup. ead. Magna. n al. indicaverit. o Sup. ead. ſi cui. p Sup. ead. facilius. q Ezech.33. r Sup. ead. convertimini, & ſcindite. ſ Ibidem.

a al. habitaculum. b Sup. in hoc eod. tractatu Gratiani ex homil. 31. ad Hebr. c Sup. ead. facilius. d Iac.5. e Supra, c.3. §. omnes. & infrà, de conſe. diſtin.4. c. omnis. f Act.2. g Ad c.11. infrà de conſecr. diſt.4. ſine pœnitentia. Sentent.4. diſtin.4. h al. ex corde profeſſionem. i Supra. nullus debi... k In lib. de vera & falſa pœnitentia, c.1. infr. diſt.3. pœnita. l Sumpta ſententia, non verba. m Luc.18. tentia. n Dan.4. o Iona 3.

publica

*publica mala (ut Auguſtinus* a *teſtatur) publico eget remedio.* ¶ *Præmiſſis itaq; auctoritatibus pro manifeſtis omnibus maniſeſte probatur offerenda ſatisfactio, & oris confeſſio. Latentia verò peccata non probantur ſacerdoti neceſſariò confitenda, & ejus arbitrio expianda.*

3 pars. *Econtrà ea, quæ in aſſertione hujus ſententiæ dicta ſunt, partim veritate nituntur, partim pondere carent. Sine contritione etenim cordis nullum peccatum poſſe dimitti, occulta verò peccata ſecreta ſatisfactione, publica quoq; manifeſta pœnitentia expiari debere firmiſſima conſtat ratione ſubnixum. Porrò ſine confeſſione oris, ſi facultas confitendi non defuerit, aliquod grave delictum expiari, auctoritati penitus probatur adverſum. Quomodo enim ſecundum auctoritatem Leonis* b *Papæ ſine ſupplicationibus ſacerdotum indulgentia nequit obtineri, ſi ſine oris confeſſione à peccato poſſumus emundari? Quis enim ſupplicabit pro peccato, quod neſcit?* ¶ *Item, quomodo ſecundum Auguſtinum* c *fruſtrat claves eccleſiæ, qui ſine arbitrio ſacerdotis pœnitentiam agit, ſi ſine oris confeſſione criminis indulgentiam impetrat?* ¶ *Item. Quomodo ſecundum Ambroſium* d *jus ligandi & ſolvendi ſolis ſacerdotibus à Domino creditur eſſe permiſſum, ſi quiſq; ſuo arbitrio ſeipſum peccando ligat, vel ſecreta pœnitentia, ſecundum Proſperum, in ſeipſum ſententiam profert excommunicationis, atq; poſt ſatisfactionem abſq; ſacerdotali judicio ſeipſum Deo, vel altari ejus reconciliari?* ¶ *Non ſunt hæc præmiſſis auctoritatibus conſentanea: ſed multorum exemplis probantur adverſa. Filiam* e *namq; Archiſynagogi turbis ejectis Dominus ſuſcitavit: non tamen, niſi præſentibus patre & matre puellæ, Petro quoq;, Iacobo, & Ioanne, vita* f *reddita eſt. In quo moraliter inſtruimur, ut ſecreta peccata, quæ per mortem puellæ intelliguntur, non niſi ſupplicationibus eccleſiæ, quæ per patrem & matrem puellæ deſignantur, & ſacerdotum miniſterio, qui per Petrum & cæteros intelliguntur, à Domino exiſtimentur dimitti.* ¶ *Item in Levitico,* g *(Qui domum ſuam, vel agrum Domino voverit* h, *vel conſecraverit, non poteſt eam redimere niſi ſiclo ſanctuarii, ſacerdote quoq; (non ipſo) ſupputante annorum numerum uſq; ad jubilæum.) In quo ſimiliter docemur, quòd quicunq; domum conſcientiæ, vel agrum converſationis per pœnitentiam Domino offerre, atq; pretio bonorum operum de vana vita ſuæ converſatione ſeipſum redimere voluerit, non poteſt hoc facere, niſi ſiclo ſanctuarii, id eſt, operibus pœnitentiæ, ſacra ſcriptura præfixis. Unde venientibus ad ſe turbis B. Ioannes non ait ſimpliciter, facite* i *pœnitentiam, vel fructus pœnitentiæ, ſed addit [dignos:] ut pro qualitate videlicet peccatorum, qualitas eſtimetur bonorum operum. Non enim par debet eſſe fructus boni operis, ejus, qui nihil, vel parum deliquit, atq; ejus, qui grandia commiſit. Ille tanquam nullius criminis ſibi conſcius uſum ſibi in rebus licitis præbet: hunc tanquam multis gravatum, etiam à licitis temperare oportet. In* k *jubilæo plena remiſſio præſtabatur. Unde per eum perfecta peccati remiſſio figuratur. Sacerdos ergo numerum annorum uſq; ad jubilæum ſupputat, cùm ejus arbitrio pœnitentiæ tempora definiuntur, quibus quiſq; plenam peccati remiſſionem inveniat. Non enim (ſicut Heſychius* l *ait ſuper eundem locum) ſtatim poſt definitam pœnitentiam quiſq; à peccato plene mundatur.* ¶ *Cùm ergo, ut ex præmiſſis colligitur, tempora pœnitentiæ arbitrio ſacerdotis definiantur, evidentiſſimè apparet ſine confeſſione propriæ vocis peccata non dimitti. Quis enim tempora pœnitentiæ alicui præfiget, niſi primum peccata ſua ſibi manifeſtare curaverit.* ¶ *Item. Taciturnitas peccati ex ſuperbia naſcitur cordis. Ideò enim peccatum ſuum quiſq; celare deſiderat, ne iniquitas ſua aliis manifeſta fiat: ne talis reputetur apud homines foris, qualem ſe jamdudum exhibuit divino conſpectui. Quod ex fonte ſuperbiæ naſci nulli dubium eſt: ſpecies etenim ſuperbiæ eſt, ſe velle videri juſtum, qui peccator eſt; atq; hypocrita convincitur, qui ad imitationem primorum parentum tergiverſatione verborum peccata ſua levigare contendit, vel ſicut Cain,* a *peccatum ſuum reticendo penitus ſupprimere quærit. Ubi autem ſuperbia regnat, vel hypocriſis, humilitas locum habere non poteſt. Sine humilitate verò alicui veniam ſperare non licet. Nec ergo, ubi eſt taciturnitas confeſſionis, venia eſt ſperanda criminis. Probatur hoc idem auctoritate Auguſtini, qui in libro de vera & falſa pœnitentia, cap. 10. ait.*

a *Sent. 4. diſt. 17. Beda ad c. 8. Lucæ, ex Auguſt. & ad cap. 5. Marci, & ibi gloſſ.* b *Suprà ead. multiplex.* c *Suprà ead. agere.* d *Suprà ead. verbum.* e *Matth. 9.* f *al. vita.* g *Ex Levit. 27.* h *alit. vovendo conſecraverit.* i *Luc. 3. B. Gregorius in homil. 20. in evangelia.* k *Levit. 25.* l *In lib. 7. ad cap. 11. Levitici: & ibi in gloſſa ordin. habetur ſenten. Sent. 4. diſt. 17.*

1 ¶ Ioannis Chryſoſtomi ] *Supra ead. c. lachryma. notatum eſt hac verba eſſe B. Ambroſii, quem citat Magiſter ſententiarum.*

2 ¶ Non lingua] *Græcè eſt,* ἐχόμβρος, εἰ καὶ μὴ τῇ γλώττῃ, ἀλλὰ τῇ μνήμῃ. *id eſt,* præces fundens, ſi minus lingua, at ſaltem memoria.

3 ¶ Et frequenter ] συνεχῶς αὐτὰς προσφέρῃς τῷ Θεῷ, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν δέῃ. *id eſt,* aſſiduè illa offeras Deo, & pro ipſis depreceris.

4 ¶ Vnde evidentiſſimè ] *Loquitur ex perſona adverſam partem ſuſtinentis. Verè enim ex illis auctoritatibus non hoc intelligitur. Qui enim ſacerdoti tanquam Deo confitetur, is minimè dicitur ſe apud alios accuſare, ſed potius neſcientibus aliis ſeipſum punire. Ac manifeſtò Chryſoſtomus dicit id, quod nunc negatur dicere.* Non dico, inquit, tibi, publica teipſum, neque apud alios te accuſa. *Hoc enim ſecundum membrum valet, idem ac primum: ut apud alios ſe accuſare, ſit idem, quod ſeipſum publicare. Quare paulò poſt Gratianus ipſe hæc, quæ nunc afferuntur, refellit.* Econtra ea, quæ in aſſertione, &c.

5 ¶ Quoniam iniquitatem] *Hic, & in aliis duobus ſequentibus locis, non refert ipſa omninò verba B. Auguſtini, ſed ſententiam.*

6 ¶ Levitico] *Itidem & hoc loco refertur ſententia Levitici in c. 27. non ipſa verba: idemq; paulò poſt fit de Heſychio.*

## C. LXXXVIII.

QVem pœnitet, *b* omninò pœniteat, & dolorem lachrymis oſtendat, repræſentet vitam ſuam Deo per ſacerdotem, præveniat judicium Dei per confeſſionē. Præcepit *c* enim Dominus mundandis *d*, ut oſtenderent ora ſacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda. Dixit *e* enim [Ora monſtrate] & [Omnes] non unus pro omnibus: non alium ſtatuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyſe ſtatutum: ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis. Ex miſericordia enim hoc præcepit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto. In hoc enim quòd per ſeipſum dicit ſacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis. Fit enim per confeſſionem veniale, quod criminale erat in operatione: & ſi non ſtatim purgatur, fit tamen vitale 1, quod commiſerat mortale. Multum enim ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum, quæ commiſit, nuncio Dei denegavit. Deus enim miſericors *f* & juſtus eſt; ſicut conſervat miſericordiam in juſtitia, ita & juſtitiam in miſericordia. Opus enim eſt miſericordiæ, peccanti peccata dimittere: ſed oportet, ut juſtus miſereatur juſtè. Oportet enim, ut non ſolùm quid, ſed in quo doleat, conſideret, ſi dignus eſt, non dico, juſtitia, ſed miſericordia. Iuſtitia enim ſola damnat, ſed dignus miſericordia eſt, qui ſpirituali labore petit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubeſcentiam, & quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. Vnde patet, quòd quantò,

a *Gen. 4.* b *Sent. 4. diſt. 17.* c *Luc. 17.* d *al. mundatis.* e *Levit. 9.* f *al. qui miſericors.*

pluribus confitebitur in ſpe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius conſequetur miſericordiam remiſſionis. Ipſi enim ſacerdotes plus jam poſſunt proficere 1, plus confitentibus parcere. Quibus enim remittunt, remittit Dominus. Lazarum enim *a* de monumento jam ſuſcitatum obtulit Dominus diſcipulis ſolvendum, per hoc oſtendens poteſtatem ſolvendi conceſſam ſacerdotibus. Dixit enim. [Quodcunque ſolveritis ſuper terram, ſolvetur & in cœlis.] hoc eſt, ego Deus, & omnes ordines cœleſtis militiæ, & omnes ſancti in gloria mea laudant vobiſcum, & confirmant, quos ligatis, & ſolvitis. Non dixit, quos putatis ligare aut ſolvere, ſed in quos exercetis opus juſtitiæ aut miſericordiæ. Alia autem opera veſtra in peccatores non agnoſco. Quare, qui *b* confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ligare & ſolvere: ne, cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit. Tanta itaque vis confeſſionis eſt, ut ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quòd pœnitens non poteſt confiteri coram ſacerdote, quem deſideranti nec locus, nec tempus offert. Et ſi ille cui confitebitur, poteſtatem ſolvendi non habet, fit tamen dignus venia ex ſacerdotis deſiderio, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis. Mundati enim ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora ſacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vnde *c* patet Dominum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibentur ad ſacerdotes pervenire. Sæpe quidem eos quærunt ſani & læti: ſed dum quærunt, antequam ad eos perveniant moriuntur. Sed Dei miſericordia eſt ubique, qui & juſtis 2 novit parcere, etſi non tam citò, ſicut ſolverentur à ſacerdote. Qui ergo confitetur, omnino ſacerdoti meliori, quàm poteſt confiteatur: & ſi peccatum occultum eſt, ſufficiat referre in notitiam ſacerdotis, ut grata ſit oblatio muneris. Nam *d* in reſuſcitatione filiæ principis pauci interfuerunt qui viderent. Nondum enim erat ſepulta, nondum extra portam civitatis delata, nondum extra domum in notitiam deportata. Intus *e* reſuſcitavit, quam intus invenit, relictis ſolis Petro, & Ioanne, & Iacobo, & patre, & matre puellæ, in quibus figuraliter continentur ſacerdotes eccleſiæ. Quos autem extra invenit, animadvertendum eſt, quomodo ſuſcitavit. Flebat enim turba poſt filium viduæ. Flevit *f* Martha, & Maria ſupplicantes *g* pro fratre. Flebat etiam turba, quæ Mariam fuerat ſecuta, lachrymis Mariæ admonita. In quo docemur publicè peccantibus non proprium, ſed eccleſiæ ſufficere meritum.

1 ¶ Vitale] *In originali eſt*, veniale. *ſed aderat gloſſa.*

2 ¶ Et juſtis] *Si conſideretur tota orationis ſeries, videtur legendum*, & iſtis. *veruntamen omnes codices collati concordant cum lectione Gratiani.*

C. LXXXIX. ¶ *Sufficit illa confeſſio, quæ primum Deo, deinde ſacerdoti offertur.*

*Item* Leo Papa *epiſt. 78. al. 80.*

9 ps QVamvis *h* plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt peccata, ut ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis conſuetudo: ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta reſerare, pro quibus poſſunt legum conſtitutione percelli. Sufficit *i* enim illa confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam ſacerdoti: qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt provocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis.

*Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraq; ſententia ſatisfactionis & confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potius adhærendum ſit, lectoris* 1 *judicio reſervatur. Vtraq; enim fautores habet ſapientes & religioſos viros.*

1 ¶ Lectoris judicio] *Certiſſimum eſt, & pro certiſſimo habendum, peccati mortalis neceſſariam eſſe confeſſionem ſacramentalem, eo modo ac tempore adhibitam, quo in concilio Tridentino poſt alia concilia eſt conſtitutum.*

C. XC.

*Unde* Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus *ait in pœnitentiali ſuo.*

QVidam *a* Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, ut Græci 1. Quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent, ut tota ferè ſancta eccleſia. Quod utrumque non ſine magno fructu fit intra ſanctam eccleſiam: ita duntaxat, ut Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, peccata noſtra confiteamur, & hoc perfectorum eſt; ut cum David dicamus: *b* [Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi, confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.] Sed *c* tamen 2 Apoſtoli inſtitutio nobis ſequenda eſt, ut confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur. Confeſſio itaque, quæ ſoli Deo fit, quod eſt juſtorum, purgat peccata. Ea verò, quæ ſacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namque ſalutis & ſanctitatis *d* auctor & largitor, plerumque hanc præbet ſuæ 3 pœnitentiæ medicinam inviſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione.

¶ *Burchardus etiam & Ivo caput hoc citant ex pœnitentiali Theodori. In capitularibus adjectis, cap. 58. hæc leguntur.* Quidam Deo ſolummodo confiteri debere dicunt peccata: quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent. Quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit eccleſiam: ita duntaxat, ut & Deo, à quo eſt remiſſio peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus, [delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi: dixi, confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei:] & ſecundùm Apoſtoli inſtitutionem confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur. Confeſſio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata: ea verò, quæ ſacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgantur peccata. Deus namque ſalutis & ſanitatis auctor & largitor eſt plerumque medicorum operatione. *In concilio Cabilonenſi 2. c. 33. eadem ferè habentur, addita ad initium voce*, quia, *& nonnullis aliis in extrema clauſula, quæ notabuntur.*

1 ¶ Vt Græci] *Hæc verba, itemq; illa*, ut tota ferè ſancta eccleſia. *& illa*, & hoc perfectorum eſt. *& illa*, Quod eſt juſtorum, *abſunt quemadmodum à capitulari, ita etiam à concilio.*

2 ¶ Sed tamen Apoſtoli] *In capitulari & concilio pendet adhuc oratio, & priori illi membro*, ut & Deo, &c. *redditur tum alterum membrum his verbis*, & ſecundùm Apoſtoli inſtitutionem, &c.

3 ¶ Suæ pœnitentiæ medicinam] *In concilio atq; apud Burchardum & Ivonem legitur*, ſuæ potentiæ. *A capitulari autem (prout ex ipſius lectione animadverti poteſt) totum iſtud primum abeſt periodi membrum.*

a *al. quem. Sent. 4. diſt. 18.* b *Infrà, diſtinct. 6. qui vult. Sent. 4. diſt. 17.* c *Luc. 17.* d *Luc. 18.* e *Luc. 7.* f *Ioann. 11.* g *ſupplicans.] orig.* h *Sent. 4. diſt. 17.* i *Suprà ead. ſufficit.*

a *In capit. adjectis, c. 58. In Cabil. conc. 2. c. 33. Burch. l. 19. c. 1[illegible]. Ivo p. 15. c. 155.* b *Pſalm. 31.* c *Et ſecundùm Apoſtoli inſtitutionem confiteamur.* d *al. ſanitatis.*

DISTIN-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

## DISTINCTIO II.

*Q*Via verò de pœnitentia ſemel cœpit haberi ſermo, aliquantulum altius repetendum videtur, diverſorum ſententias certis auctoritatibus munitas in medium proponentes. Alii dicunt pœnitentiam ſemel tantùm eſſe utilem. Vnica eſt enim, nec reiterari poteſt. Si verò reiteratur, præcedens pœnitentia non fuit. Et ſi de ſententia judicis ejus, meritò peccata videntur eſſe remiſſa, apud tamen ejus præſentiam, cui omnia futura præſentia ſunt, nunquam habentur remiſſa: quia non eſt ſervata illa ſententia veri ſacerdotis: [Vade a, & amplius noli peccare.] Item [Ecce ſanus factus es, jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.] Item ex octava ſynodo.

*¶ Habetur in libro de inſtitutis monachorum, interprete Ruffino, c.22. ex Baſilio in regulis brevioribus, num. 2. 289.*

C. I. *¶ Primam vitii cauſam non penitus extinguit, qui in illam poſtea recidit.*

SI quis ſemel notatus fuerit invidiæ vel contentionis vitio, & rurſus in hoc ipſum inciderit, ſciat ſe primam illam cauſam de qua ſuperius diximus, ex qua invidia vel contentio naſcitur, in interioribus medullis habere reconditam. Oportet ergo eum per contraria, atque adverſa curari, id eſt, per humilitatis exercitium. Exercitia verò humilitatis ſunt, ſi ſe vilioribus officiis ſubdat, & miniſteriis indignioribus tradat. Ita namque arrogantiæ, & humanæ gloriæ vitium curari poterit, ut conſuetudine b humilitatis affectus ultra jam non incidat in arrogantiæ & vanæ gloriæ delictum. Atque in ſingulis hujuſmodi vitiis cura ſimilis adhibeatur.

*Item ſine charitate nulli adulto peccatum remittitur. Non autem habet charitatem, qui aliquando peccaturus eſt criminaliter.*

C. II.

Unde Auguſtinus *ad Iulianum comitem.*

I. CHaritas, c quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit.

*¶ In antiquis editionibus epiſtolarum B. Auguſtini erat epiſtola cxi. ad Iulianum, in qua erat hoc caput. Nunc eſt in tomo 4. ſub titulo de ſalutaribus documentis ad quendam comitem, c.7. Apud Hieronymum verò in epiſtola ad Ruffinum ſimile quiddam legitur.* Amicitia, inquit, quæ deſinere poteſt, vera nunquam fuit.

C. III.

Idem *ſuper epiſtolam primam Ioannis, tractatu 8.*

RAdicata d eſt charitas? ſecurus eſto; nihil mali procedere poteſt.

C. IV.

*Item* Gregorius *lib. 10. Moralium, c. 22.*

VAlida eſt, e ut mors, dilectio.] Virtuti etenim mortis, dilectio comparatur: quia nimirum mentē, quam ſemel ceperit, à delectatione f mundi funditus occidit.

C. V.

*Item* Proſper g *in lib. 3. de vita contemplativa, c. 13.*

II. CHaritas eſt, ut mihi videtur, recta voluntas, ab omnibus terrenis ac præſentibus prorſus averſa, juncta Deo inſeparabiliter & unita, igne quodam Sancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem refertur, incenſa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis h neſcia, nulli vitio mutabilitatis obnoxia, ſupra omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelſa, affectionum omnium potentiſſima, divinæ contemplationis avida, in omnibus ſemper invicta, ſumma actionum bonarum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, virtus pugnantium, palma victorum, anima a ſanctarum mentium, cauſa meritorum bonorum, præmium perfectorum: ſine qua nullus Deo placuit, cum qua aliquis peccare nec potuit, nec poterit: fructuoſa in pœnitentibus, læta in proficientibus, glorioſa in perſeverantibus, victorioſa in martyribus, operoſa in omnibus omninò fidelibus, ex qua, quidquid eſt boni operis, vivit. *Item infrà.* ¶ Hæc eſt charitas vera, germana, perfecta, quam excellentiorem viam nominat ſanctus Apoſtolus b: & verè ipſa eſt via, quæ ducit per ſe ambulantes ad patriam: quia ſicut ſine via pervenit nullus, quò tendit, ita ſine charitate, quæ dicta eſt via, non ambulare poſſunt homines, ſed errare. *Item ibidem. c. 15.* ¶ Ergo ſi charitatem Deo exhibeamus & proximo de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, facilè peccato reſiſtimus, bonis omnibus c abundamus, ſæculi blandimenta contemnimus, & omnia, quæ difficilia ſunt humanæ fragilitati, vel aſpera etiam, cum delectatione d perficimus: ſi tamen Deum charitate perfecta, quæ nobis ex illo eſt, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus diligamus. Ex ea enim parte quis peccat, ex qua minus diligit Deum: quem ſi ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati deſideriis ſerviamus. Et quid eſt diligere Deum, niſi illi copulari e animo, concipere fruendæ viſionis ejus affectum, peccati odium, mundi faſtidium, diligere etiam proximum, quem in ſe cenſuit diligendum, in ipſo amore ſervare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem conſtitutum? Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi cuſtodiunt, qui aut mundum, qui contemnendus eſt, diligunt, aut corpora ſua minus diligenda, plus diligunt, aut proximos, non ſicut ſeipſos, aut Deum plus quàm ſeipſos fortè non diligunt. *Item infrà.* ¶ Corpus noſtrum, quia pars noſtri eſt, ad hoc nobis diligendum eſt, ut ſaluti ejus, ac fragilitati naturaliter conſulamus & agamus, quatenus ſpiritu ordinante ſubjectum, ad æternam ſalutem accepta immortalitate & incorruptione perveniat. *Item infrà.* ¶ Proximos autem tunc diligimus ſicut nos, ſi non propter aliquas utilitates noſtras, non propter ſperata beneficia, vel accepta, non propter affinitates, vel conſanguinitates, ſed propter hoc tantùm, quòd ſunt naturæ noſtræ participes, diligamus. *Item infrà.* ¶ Non illi tantùm proximi noſtri credendi ſunt, quos nobis gradus ſanguinis jungit, ſed proximi noſtri credendi ſunt omnes homines naturæ noſtræ, ſicut dixi, participes. *Item infrà.* ¶ Proinde ſicut f nos proximos omnes diligimus, quando ad mores bonos, & æternam vitam conſequendam, ſicuti nobis, ſaluti eorum conſulimus: quando nos in eorum peccatis ac periculis cogitamus: & ſicut nobis ſubveniri optamus, ita eis pro viribus ſubvenimus: aut ſi facultas defuerit, voluntatem ſubveniendi tenemus. Quapropter hæc eſt proximi tota dilectio, ut bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo, & malum, quod tibi nolis accidere, nolis & proximo. Illi verò plus quàm ſe diligunt Deum, qui pro ejus amore, ſuæ ad tempus ſaluti non parcunt, ſeipſos tribulationibus ac periculis tradunt; nudati facultatibus propriis, patriæ ſuæ extorres fieri, parentibus, & uxoribus, ac filiis ſuis renunciare parati ſunt; &, ut totum dicam, ipſam corporis mortem non ſolùm non refugiunt, ſed etiam libenter excipiunt, ambientes à corporis ſui vita magis, quàm à Deo vita vitæ ſuæ diſcedere.

*¶ Caput hoc confectum eſt ex verbis Proſperi hinc inde collectis, & prior pars habetur etiam in tractatu de laudibus charitatis.*

---

a Ioan. 8. & 5. b *al. habitum humilitatis adeptus. Sent. 3. diſt. 30.* c *Senten. 3. diſt. 31.* d *Senten. ibid.* e *Sent. ibid. Cant. 8.* f *al. dilectionem.* g *Et apud B. Auguſt. in lib. de laudibus charitatis.* h *al. corrumpi.*

a *al. arma. Aug.* b *1. Cor. 13.* c *al. operibus.] aliquot Grat. manuſcripta.* d *al. dilectione.* e *occupare animum.] orig.* f *al. ſecundùm.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*ritatu, inter opera B. Auguſtini tomo 6. eodem ferè modo, quo apud Gratianum. Atq; emendata quædam, & etiam addita nonnulla ſunt ex ipſo B. Proſpero. Sed operæ pretium fuerit integrum locum apud ipſum legere; copioſè enim, & ornatiſſimè explicatur.*

1 ¶ Hæc eſt proximi] *Ita legitur non modò in originali, ſed etiam in vetuſtioribus Gratiani codicibus: in vulgatis erat,* Quapropter chariſſime tota dilectione ſatage, ut bonum, &c.

C. VI.

*Item* Beda *ſuper Ioannem ad c. 1.*

QVærendum *a* eſt interea, quomodo ſpeciale filium Dei agnoſcendi ſignum fuerit, quòd ſuper eum deſcenderit & manſerit Spiritus. *& infrà.* ¶ Quid magni eſt filio Dei, quòd in ipſo manere Spiritus aſtruatur? Notandum ergo, quòd ſemper in Domino manſerit Spiritus Sanctus: in ſanctis autem hominibus, quamdiu mortale corpus geſtaverint, partim maneat in æternum, partim rediturus ſecedat *b*. Manet quippe apud eos, ut bonis inſiſtant actibus, voluntariam paupertatem diligant, manſuetudinem ſequantur, pro æternorum deſiderio lugeant, eſuriant & ſitiant juſtitiam, miſericordiam, munditiam cordis, & tranquillitatem pacis amplectantur: ſed & pro obſervatione juſtitiæ perſecutionem pati non vereantur, eleemoſynis, orationibus, jejuniis, cæteriſque fructibus Spiritus inſiſtere deſiderent. Recedit autem ad tempus, ne ſemper infirmos curandi, [mortuos *c* ſuſcitandi,] dæmones ejiciendi, vel etiam prophetandi habeant *d* facultatem. Manet ſemper, [ut *e* poſſint habere virtutes, & ut mirabiliter ipſi vivant.] Venit ad tempus, ut etiam aliis per miraculorum ſigna, quales ſint intus, effulgeant.

C. VII.

*Item* Apoſtolus *1. Corinth. 13.*

III. CHaritas *f* nunquam excidit.

C. VIII.

*Item* Auguſtinus *ſuper epiſtolam primam Ioannis, tractatu 3.*

VNctio *g* inviſibilis Spiritus Sanctus eſt: unctio 1 inviſibilis charitas eſt: quæ in quocumque fuerit, tamquam radix illi erit: quæ quamvis ardente ſole, areſcere non poteſt, nutritur calore ſolis, non areſcit.

1 ¶ Vnctio inviſibilis charitas eſt] *Hinc uſq; ad finem eodem modo ſe habent apud magiſtrum, atq; apud Gratianum. Sed apud B. Auguſtinum aliter.* Vnctio inviſibilis, inquit, charitas illa eſt, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit; quamvis ardente ſole areſcere non poteſt. Omne quod radicatum eſt, nutritur calore ſolis, non areſcit. *Ita non negat charitatem poſſe areſcere, ſed quod in charitate radicatum eſt.*

C. IX.

*Item* Gregorius *ſuper Ezechielem, homilia tertia.*

PEnnata animalia, videlicet prædicatores ſancti, cùm incedunt, minimè revertuntur: quia ſic à terrenis actibus ad ſpiritualia pertranſeunt, ut ad ea, quæ reliquerunt, ulterius nullatenus reflectantur. *& paulò poſt.* [Nemo *h* mittens manum in aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.] Manum quippe in aratrum mittere, eſt quaſi per quendam compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram ſui cordis aperire. Sed retrò poſt aratrum aſpicit, qui poſt exordia boni operis ad mala revertitur, quæ reliquit. Quod quia electis Dei minimè contingit, rectè nunc per Prophetam *i* dicitur: [Non revertebantur cùm incederent.] *& paulò poſt.* Vnde Paulus: *k* [Vnum verò, quæ retrò ſunt, oblitus, in ea, quæ ſunt anteriora *a* extendens me, ſequor ad palmam ſupernæ vocationis.] In anteriora etenim extentus, eorum, quæ retrò ſunt, oblitus fuerat, quia temporalia deſpiciens, ſola quæ ſunt æterna, quærebat.

a *Sent. 3. diſt. 31. Ioan. 1.* b *al. recedat.* c *Abſunt ab originali.* d *al. poſſint habere virtutem.] orig.* e *Abſunt ab originali.* f *Senten. 3. diſtinct. 31.* g *Senten. ibid.* h *Luc. 9.* i *Ezechiel. 9.* k *Philip. 3.*

C. X.

Item *in eundem, homilia quinta.*

NOn revertebantur, cùm incederent, *b*] quia electi quippe ſic ad bona tendunt, ut ad mala perpetranda non redeant. [Qui *c* enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.] Et, ſicut per Salomonem *d* dicitur: [Iuſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem.] In eorum namque animis bonum deſiderium, atque intellectus lucis intimæ jam pars diei eſt: ſed quia uſque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cœleſtia regna perducti, in ea luce, quam deſiderant, jam minus aliquid non habebunt.

C. XI.

Item *Ibidem.*

POteſt *e* diſcurſus atque mobilitas Spiritus ſic *f* intelligi. In ſanctorum quippe cordibus juxta quaſdam virtutes ſemper permanet: juxta quaſdam verò receſſurus venit, & venturus recedit. In fide etenim, ſpe, atque charitate, & in bonis aliis, ſine quibus ad cœleſtem patriam non poteſt veniri (ſicut eſt humilitas, caſtitas, juſtitia, atque miſericordia) perfectorum corda non deſerit. In prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis ſuis aliquando adeſt, aliquando ſe ſubtrahit. *& paulò poſt.* ¶ In his itaque virtutibus, ſine quibus ad vitam minimè pervenitur, Spiritus Sanctus in electorum ſuorum cordibus permanet; unde 1 rectè ſtabilis dicitur. In his verò, per quas ſanctitatis virtus oſtenditur, aliquando miſericorditer præſto eſt, aliquando miſericorditer recedit.

1 ¶ Vnde rectè ſtabilis dicitur] *Hæc ex paulò ſuperiori B. Gregorii diſputatione aliis verbis huc ſunt à collectore translata.*

C. XII.

*Vnde* Ambroſius *ſuper epiſtolam 2. ad Corinthios, ad c. 6.*

FIcta charitas eſt, quæ deſerit in adverſitate.

¶ *Referuntur verba gloſſæ ordinariæ: nam B. Ambroſii ſunt hæc,* Simulata charitas in his eſt, qui in neceſſitate deſerunt fratres.

2 pars. *Ex præmiſſis itaq; apparet, quòd charitas ſemel habita ulterius non amittitur. Qui enim charitatem ſemel habuerit, criminaliter ulterius peccare non poterit: ut ad gratiam, non ad naturam impoſſibilitas referatur. Quòd autem charitatem habens, criminaliter peccare non poſſit, teſtatur* Auguſtinus g *in libro 50. homiliarum, homilia octava, dicens.*

C. XIII.

QVia radix *h* omnium malorum eſt cupiditas, & radix omnium bonorum eſt charitas, & ſimul ambæ eſſe non poſſunt, niſi una penitus *i* evulſa fuerit, alia plantari non poterit. Sine cauſa aliquis conatur ramos incidere, ſi radicem non contendit evellere.

*Cùm ergo, qui criminaliter peccat, charitatem nunquam habuiſſe probatur, evidenter colligitur, pœnitentiam non agere, qui quandoq; criminaliter peccat* k.

C. XIV.

*Vnde* Auguſtinus.

CHaritas eſt aqua, de qua Dominus ait in Evangelio: *l* [Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.]

¶ *Hæc ſententia non eſt inventa apud B. Auguſtinum, licet*

a *al. ante.* b *al. ambularent.* c *Ezech. 1. Matth. 11.* d *Prov. 4.* e *Sent. 3. diſt. 31.* f *al. requiſitione alterius conſiderationis.] orig.* g *Senten. 3. diſtin. 31.* h *1. Timoth. 6.* i *al. radicitus.* k *al. peccavit.* l *Ioann. 4.*

*in pſal-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*in pſalmum 103, ad verſ.* Qui tegis aquis. *charitatem velit aquis ſignificari: quemadmodum & Proſper, & gloſſa ordinaria & interlineari ad eundem locum.*

*Reprobus ergo, cùm æternis mancipatus incendiis in æternum ſitiat, quomodo bibet aquam vivam, aut quomodo potabit aquam ſalientem in vitam æternam, qui quaſi plumbeus demerſus in ima, pœnas luet damnationis æternæ? Item. Sine charitate quomodo quis veram cordis contritionem habere poterit? quomodo ergo delictorum remiſſionem? quæ ſi non ſunt dimiſſa, quomodo non omnia prorſus ad pœnam exigenda ſunt? Item* a *Dominus: [Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.] Qui* b *ergo non habet vitam æternam, in Chriſtum non credit. In Chriſtum verò credit, qui charitatem habet. In Chriſtum quippe credere eſt, amando in ipſum tendere. Hæc eſt fides, ut definit Apoſtolus, quæ per dilectionem operatur: huic duntaxat remiſſio delictorum promittitur. Quòd ſi charitas à fide Chriſtianorum ſejungi nequit, cui ſcilicet ſoli venia promittitur, quomodo, qui charitatem non habuerit, fidem Chriſtianorum habuit, id eſt, in Chriſtum credidit? quomodo ergo veniam delictorum accepit? quam* c *ſi non accepit, quomodo non omnia prorſus opera æternis ſunt ferienda ſuppliciis? Item Dominus:* d *[Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.] Qui ergo non vivit in æternum, non manducavit panem vivum: ſed qui non manducavit eum, non credidit. Hoc* e *eſt enim manducare panem vivum, quod credere in Chriſtum, id eſt, amando tendere in ipſum. Cùm ergo reprobus in eum non crediderit, quem non manducavit, & ita fidem Chriſtianorum (qua ſola peccata relaxantur) non habuerit, quomodo, ſi vivit Dominus, cui omne judicium dedit Pater, judicium perpetuæ damnationis effugiet omnium non ſolùm actualium, ſed etiam originalium?*

3 pars. *Hæc,* f *quæ de charitate dicuntur, de perfecta intelligi poſſunt, quæ ſimel habita, nunquam amittitur. Exordia verò charitatis enutriuntur, ut creſcant, & conculcantur, ut deficiant. Nemo enim repente fit ſummus: ſed in bona converſatione, quæ ſine charitate nulla eſt, à minimis quiſq; inchoat, ut ad magna perveniat. Sunt itaq; gradus non ſolùm inter virtutem & virtutem, ſed & in eadem virtute.*

## C. XV.

*Unde* Gregorius *ſuper Ezechielem homil.15. ſcribit, dicens.*

CUm ſanctam eccleſiam Dominus ſuſcipit, in gradibus ejus dignoſcitur: quia *g* ejus gloria per illius incrementa declaratur. Quantum enim ſancta eccleſia aſcendendo proficit *h*, tantum Deus hominibus ex ejus virtutibus innoteſcit. De his quoque gradibus beatus Iob *i* loquitur, dicens, [per ſingulos gradus meos pronuntiabo illum,] omnipotentem quippe Dominum per ſingulos gradus ſuos pronunciant, qui per incrementa virtutum, quæ cœpit, ei ſemper laudem ſuæ pietatis reddit. Si quidam gradus in cordis aſcenſione non eſſent, pſalmiſta non diceret: *k* [ambulabunt de virtute in virtutem.] Nec mirum, ſi de virtute in virtutem gradus ſunt, quando unaquæque virtus quaſi quibuſdam gradibus agitur *l*, & ſic per incrementa meritorum ad ſumma perducitur. Aliud namque ſunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim & ipſa fides ad perfectionem ſuam non quibuſdam gradibus duceretur, ſancti Apoſtoli minimè dixiſſent, [Adauge *m* nobis fidem.] Et quidam venit ad Ieſum, qui curari voluit filium ſuum: ſed requiſitus, an crederet, reſpondit, [credo *n* Domine, adjuva incredulitatem meam.] Penſate, rogo *o*, quod dicitur: Si credebat, cur incredulitatem dicebat? Si verò incredulitatem habere ſe noverat, quomodo credebat? ſed quia per occultam inſpirationem gratiæ, meritorum ſuorum gradibus fides creſcit, uno eodemque tempore is, qui necdum perfectè crediderat, ſimul & credebat, & incredulus erat. Hos nimirum gradus Dominus ſub meſſis nomine deſcribit, dicens: [Sic *a* eſt regnum Dei, quemadmodum ſi jaciat homo ſemen in terram, & dormiat, & exurgat nocte ac die, & ſemen germinet, & creſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica: & cùm ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt tempus meſſis.] Semen homo jactat in terram, cum cordi ſuo bonam intentionem inſerit: & poſtquam ſemen jactaverit, dormit, quia jam in ſpe boni operis quieſcit. Nocte verò exurgit, ac die, quia inter *b* adverſa, & proſpera proficit: & ſemen germinat & creſcit, dum neſcit ille: quia, dum adhuc metiri incrementa ſua non valet, ſemel concepta virtus ad perfectum ducitur: & ultrò terra fructificat, quia præveniente ſe gratia mens hominis ſpontaneè ad profectum boni operis aſſurgit. Sed hæc eadem terra primùm herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum producit in ſpica. Herbam quippe producere, eſt inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad ſpicam verò herba pervenit, cùm ſe virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificat, quando jam in tantum virtus proficit, ut eſſe robuſti & perfecti operis poſſit. Sed cùm ex ſe produxerit fructus, ſtatim mittit falcem: quoniam adeſt tempus meſſis. Omnipotens enim Deus producto fructu falcem mittit, & meſſem ſuam deſecat: quia cùm unumquemque ad opera perfecta produxerit, ejus temporalem vitam per emiſſam ſententiam incidit, ut granum ſuum ad cœleſtia horrea perducat. Cùm igitur deſideria bona concipimus, ſemen in terram mittimus. Cùm verò operari recta incipimus, herba ſumus. Cùm 1 autem ad profectum boni operis creſcimus, ad ſpicam pervenimus: cumque in ejuſdem operationis perfectione ſolidamur, jam plenum frumentum in ſpica proferimus.

Herba etenim Petrus fuerat, qui paſſionis tempore per amorem Dominum ſequens, hunc confiteri ante ancillæ vocem timebat. Erat enim jam viriditas in mente, quia credebat omnium redemptorem: ſed valde adhuc flexibilis, pede conculcabatur timoris. Iam in ſpicam ſurrexerat, quando eum, quem morituram confiteri timuerat, nunciante angelo in Gallilæa viventem videbat. Sed ad plenum granum in ſpica pervenerat, quando veniente deſuper Spiritu, & ſuam mentem in illius amore roborante, ita *c* ſolidatus eſt, ut vires perſequentiũ cæſus deſpiceret, & redemptorem ſuum liberè inter flagella prædicaret. Nullus itaque, qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur, deſpiciatur: quia frumentum Dei ab *d* herba incipit ut granum fiat. Vir ergo veſtitus lineis venit ad portam, quia Dominus ac redemptor noſter membris ſuis intrantibus perducit 2 ad ſe: & aſcendit per gradus ejus, quia nobis proficientibus, eò nobis amplius exaltatur, quantò altus, & incomprehenſibilis eſſe cognoſcitur. In virtute quippe noſtrarum mentium ipſe aſcendere dicitur, quia tantò ipſe ſublimior nobis oſtenditur, quantum noſter animus à rebus infimis ſeparatur.

1 ¶ Cùm autem ad profectum boni creſcimus, ad ſpicam pervenimus] *Hæc deſiderantur in originali.*

2 ¶ Perducit] *In pleriſq; vetuſtis, & apud B. Gregorium legitur:* perducitur, *ſed ob gloſſam non eſt emendatum.*

a *Ioann.6.* b *Aug.tract.29.in Ioannem, & de cognitione veræ vitæ,c.37.* c *Gal.5.* d *Ioan.6.* e *De conſecr. diſt.2.c.ut quid.& c.credere.* f *Sent.3.diſt.31.* g *Pſal. 47.* h *al.profecerit.* i *Iob.31.* k *Pſal. 83.* l *al.augetur. Sent.3.diſt.31.* m *Luc.17.* n *Marc.9.* o *al.ergo.*

a *Mar.4.* b *al.in.* c *Act.5.* d *al.in.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

### C. XVI.

*Item* Auguſtinus *ait in libro de gratia, & libero arbitrio, c.17.*

QVi vult facere Dei mandata *a*, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam. Poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, id eſt, magna charitate fecerunt, de qua charitate ipſe Dominus ait: [Majorem *b* hac charitatem nemo, &c.] *& paulò poſt.* ¶ Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non eſt in charitate, ſicut ait Ioannes Evangeliſta in epiſtola ſua, *c* ſed perfecta charitas foras mittit timorem. Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat: [Domine *d* animam meam pro te ponam.] *Idem ſuper primam epiſtolam Ioannis, tractatu quinto.* ¶ Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus ſit pro fratribus etiam mori, perfecta eſt in illo charitas: ſed numquid mox, ut naſcitur, jam prorſus perfecta eſt? ut perficiatur, naſcitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cùm fuerit roborata, perficitur: cùm ad perfectum *e* venerit, quid dicit? *f* [Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Optabam 1 diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, multò magis optimum; manere in carne neceſſarium propter vos.] Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

1 ¶ Optabam] *Hinc uſq; ad finem ſunt addita ex B. Auguſtino, quoniam faciunt ad ſententiæ integritatem.*

### C. XVII.

Idem *in eadem, tractatu nono.*

SIcut ſeta *g* introducit linum, ita timor introducit charitatem: creſcit charitas, minuitur timor, & è converſo.

¶ *Verba B. Auguſtini ſunt hæc.* Sicut videmus per ſetam introduci linum, quando aliquid ſuitur, ſeta primùm intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum, ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remaneat timor, quia ideò intravit, ut introduceret charitatem. *& paulò ſuperius.* Major charitas, minor timor: minor charitas, major timor. *Ex his confectum eſt hoc caput.*

### C. XVIII.

Item h *tractatu quinto in eandem.*

FOrtè nata eſt in te charitas, ſed nondum perfecta eſt: noli deſperare, nutri eam, ne offocetur *i*.

### C. XIX.

Idem *ad Hieronymum, epiſt. 29.*

CHaritas *k* in quibuſdam eſt perfecta, in quibuſdam eſt imperfecta: perfectiſſima autem in hac vita haberi non poteſt.

¶ *Caput hoc eſt ſumma quadam verborum Auguſtini in loco indicato.*

### C. XX.

Idem *in libro 50. homiliarum, homilia nona.*

SI ſermo *l* meus invenit in cordibus veſtris aliquam ſcintillam gratuiti amoris Dei, ipſam nutrite, ad hanc augendam vos advocate. *& paulò poſt.* ¶ Flete 1, nutrite in vobis; ipſa cùm creverit, & flammam digniſſimam fecerit, cupiditatum carnalium ligna conſumet.

1 ¶ Flete] *Non eſt emendatum ob gloſſam: nam in multis vetuſtis codicibus eſt, flate, & in originali legitur.* Hanc ſcintillam boni amoris, de qua Dominus dicit, [Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat;] flate in vobis, nutrite, &c.

*Econtrario etiam, gradus in virtute eſſe probantur, quia & ipſius peccati gradus evidenter apparent. Sicut enim nemo repente fit ſummus, ita nemo repente fit turpiſſimus.*

### C. XXI.

*Hinc etiam* Auguſtinus *ait in lib. 1. de ſermone Domini in monte, c. 23.*

SIcut *a* tribus gradibus ad peccatum pervenitur, ſuggeſtione, delectatione, conſenſione, ita ipſius peccati tres ſunt differentiæ, in corde, in facto, in conſuetudine, tanquam tres mortes: una, quaſi in domo, id eſt, cum in corde conſentitur libidini: altera, quaſi jam prolata extra portam, cùm in factum procedit aſſenſio: tertia, cùm vi conſuetudinis malæ, tanquam mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulchro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum reſuſcitaſſe, quiſquis Evangelium *b* legit, agnoſcit.

### C. XXII.

*Item* Gregorius *lib. 25. Moralium, c. 16.*

SCiendum quippe eſt, quòd peccatum tribus modis committitur. Nam aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio perpetratur: & gravius quidem infirmitate, quàm ignorantia: ſed multò gravius ſtudio, quàm infirmitate peccatur.

### C. XXIII.

Idem *lib. 21. Moralium, c. 3.*

INter hæc ſciendum eſt, aliud eſſe, quod animus de tentatione carnis patitur: aliud verò, cùm per conſenſum delectationis obligatur. Plerunque enim cogitatione prava pulſatur, ſed renititur. Plerunque autem, cùm perverſum quid concipit, hoc intra ſemetipſum etiam per deſiderium voluit. Et nimirum mentem nequaquam cogitatio immunda inquinat, cùm pulſat, ſed cùm hanc ſibi per delectationem ſubjugat. Hinc etenim prædicator egregius dicit [tentatio *c* vos non apprehendat, niſi humana.] Humana quippe tentatio eſt, qua plerunque in cogitatione tangimur etiam nolentes; quia, ut nonnunquam & illicita ad animum veniant, hoc utique in nobiſmetipſis ex humanitatis corruptibilis pondere habemus. Iam verò dæmoniaca eſt, & non humana tentatio, cùm ad hoc, quod carnis corruptibilitas ſuggerit, per conſenſum ſe animus aſtringit.

### C. XXIV.

*Item* Hieronymus *ad c. 1. Amos.*

SVper tribus *d* ſceleribus Damaſci, &c. ut ſuprà.

*Non eſt mirum, ſi in virtute gradus eſſe dicuntur: quandoquidem & peccati gradus ita evidenter monſtrantur.* ¶ *Hæc itaq; charitas, quæ in Petro ante negationem herba fuit, & in ſingulis naſcitur, antequam roboretur, ante ſui perfectionem amittitur, & reparatur. Unde Auguſtinus in libro de correptione, & gratia, cap. 7. [Quicunq; ab illa originali damnatione iſta divina gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Evangelium; & cùm audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, uſq; in finem perſeverant; & ſi quando exorbitant, correpti emendantur: & quidam eorum etſi ab hominibus non corripiantur, in viam quam reliquerant, redeunt.]*

### C. XXV.

Idem *ibid.*

FIrmum Dei fundamentum ſtat, immobile 1 habens ſignaculum hoc. *e* [Scit *f* Dominus, qui ſunt ejus.] Horum fides, quæ per dilectionem operatur, profectò aut omninò non deficit; aut, ſi qui ſunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita iſta finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, ad finem perſeverantia deputatur.

1 ¶ Immobile] *Abeſt ab originali: ſed non eſt expuncta ob gloſſam.*

a *al. mandatum.* b *Ioan. 15.* c *1. Ioan. 4.* d *al. Domino. Ioan. 13. Senten. 3. diſtinct. 29.* e *al. perfectionem.* f *Philip. 1.* g *Sent. 4. diſt. 34.* h *Tranſpoſitis aliquibus verbis.* i *al. ſuffocetur.* k *Sentent. 4. diſt. 36.* l *Sent. ibidem.*

a *Sentent. 4. diſt. 16.* b *Matth. 9. Luc. 7.* c *1. Corint. 10.* d *Diſtinct. 1. de pœnitentia, c. ſuper tribus.* e *2. Tim. 2.* f *al. ſcivit.] orig.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C. XXVI.

Idem *in eodem libro, cap. 9.*

NVllus *a* eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam.

C. XXVII.

Item *ibidem.*

TAlibus *b* Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum: uſq; adeò prorſus omnia, ut etiam, ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum.

C. XXVIII.

*Item* Apoſtolus *ad Galatas 5.*

CIrcumciſio non eſt aliquid, neque præputium: ſed fides, quæ per dilectionem operatur. [Et hoc olim in vobis, quia currebatis bene per opera fidei ex dilectione.]

C. XXIX.

Item *ad Hebræos, cap. 6.*

NOn eſt tam injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, &c.]

*Operis c, quo omnia ſua fecerant communia, & hoc ex dilectione, & hoc ad gloriam Dei. Ecce triplex bonum, quaſi diceret, olim multa operati eſtis, pro quibus, ſi pœniteatis de malis, benefaciet vobis Deus. Romanos quoque, & Galatas, dum Apoſtolus redargueret, meritis fidei probat aſſecutos remiſſionem peccatorum, & ſanctificationem in Spiritu Sancto, & juſtitiam bonæ operationis, quæ omnia aut ſine charitate nunquam verè fuerunt in eis, aut veram charitatem habuerunt, à qua poſtea lapſi ſunt, qui de operibus legis gloriabantur.*

C. XXX.

*Item de quolibet adulto* Auguſtinus *ait.*

TOlle charitatem, odium tenet. *Item.* Omnis *d*, qui non diligit, odit. *Item in Evangelio.* [Nemo *e* poteſt duobus Dominis ſervire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum ſuſtinebit, alterumq; contemnet.

*Adam f verò cùm in virili ætate à Domino creatus ſit, antequam à diabolo tentaretur, dum de latere ejus uxor formabatur, dum in extaſi raptus angelicæ curiæ intererat, dum evigilans futura Chriſti & eccleſiæ ſacramenta vaticinabatur, aut charitatem, aut odium habebat. Si autem odium habebat, non fuit diabolus auctor noſtri peccati. Item. Si ſine charitate à Deo creatus eſt, ejus ſimilitudinem in creatione ſua nequaquam accepit. Item. Si ſine charitate creatus eſt, juſtus & innocens à Deo factus non eſt: creatura namque rationis capax, & liberi arbitrii, juſtitiæ, & innocentiæ ſine charitate particeps eſſe non poteſt; colligitur ergo, quod Adam antequam peccaret, charitatem habuit, ſine qua juſtus & innocens eſſe non potuit.*

C. XXXI.

*Unde* Auguſtinus *in Geneſim ad literam, lib. 6. c. 24.*

QVomodo renovari dicimur, ſi non hoc recepimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc planè recepimus, quia juſtitiam, ex qua in peccatum lapſus eſt. *& paulò poſt, cap. 7.* ¶ Expoliantes *g* vos veterem hominem cum actibus ſuis, induite novum, qui renovatur in agnitionem Dei, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit eum. Hanc imaginem in Spiritu mortis impreſſam perdidit Adam per peccatum. *& poſt pauca.* ¶ Stola *h* illa prima, juſtitia eſt, unde lapſus eſt Adam.

¶ *In hoc & in ſequenti capitulo addita ſunt nonnulla ex originali, in quo tamen longè copioſius & clarius hæ ſententiæ exponuntur.*

a *Infrà diſt. 4. ſi ex bono.* b *Roman. 8.* c *Videntur eſſe ex gloſſa aliqua, aut Gratiani verba.* d *Ioan. 3.* e *Luc. 16. Matt. 6.* f *Gen. 2.* g *Coloſſ. 3.* h *Luc. 15.*

C. XXXII.

Idem *in homilia 11.* a

PRinceps vitiorum omnium, dum vidit Adam ex limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compoſitum, charitate circumdatum *b*, proximos parentes illis donis, ac tantis bonis expoliavit, inſuper & peremit. Namque cùm homini abſtuliſſet pudicitiam, continentiam, charitatem, immortalitatem, dominio ſuo eum obſtrinxit. *& paulò poſt.* ¶ Adam amiſſa temperantia intemperans effectus eſt: perdita charitate malus inventus eſt.

C. XXXIII.

*Item* Ambroſius *lib. 6. epiſt. 41. ad Sabinum.*

QVando Adam ſolus erat, non eſt prævaricatus: quia mens ejus adhærebat Deo.

C. XXXIV.

*Item* ad eundem, *eodem libro, epiſt. 42.*

PRimus homo erat opus Dei recens, confabulator aſſiduus, civis ſanctorum, complantatus 1 virtutibus.

1 ¶ Complantatus ] *In vulgatis erat*, angelorum complantatus, *quæ vox abeſt à multis manuſcriptis, & ab originali.*

C. XXXV.

Idem *in Hexameron, lib. 6. c. 7.*

ILla anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem, ſplendoremque pietatis. Illa anima bene picta eſt, in qua elucet divinæ operationis effigies. Illa anima bene picta eſt, in qua eſt ſplendor gloriæ, & paternæ imago ſubſtantiæ. Secundùm hanc imaginem, quæ refulget, pictura pretioſa eſt. Secundùm hanc imaginem Adam ante peccatum [depictus *c* fuit:] ſed ubi lapſus eſt, depoſuit imaginem cœleſtis, ſumpſit terreſtris effigiem.

C. XXXVI.

Idem *de fuga ſæculi, cap. 4.*

SImilem Dei eſſe, eſt habere juſtitiam, habere ſapientiam, & in virtute eſſe perfectum.

C. XXXVII.

Idem *libro ſecundo de Iacob, & vita beata, cap. 4.*

SApiens nunquam inanis eſt, ſemper in ſe habens amictum prudentiæ, qui poteſt dicere [juſtitiam induebam, & veſtiebam judicium.] ſicut dixit Iob *d*. Namque hæc mentis ſunt interna velamina, quæ nemo alius poteſt auferre, niſi cùm aliquem ſua culpa deſpoliat. Denique ſic deſpoliatus Adam nudus inventus eſt.

C. XXXVIII.

Idem *in libro de Iſaac, & anima, c. 5.*

SEd nec Adam primus 1 nudus erat, quando eum innocentia veſtiebat.

1 ¶ Primus ] *In originali eſt,* primò. *Sed ob gloſſam non eſt mutatum. Vox autem,* homo, *quæ in vulgatis ſequebatur, abeſt etiam à multis manuſcriptis.*

C. XXXIX.

Idem *in libro de Paradiſo, cap. 13.*

VT *e* cognoverunt *f*, quòd nudi eſſent.] Et antè quidem nudi erant; ſed non ſine virtutum integumentis.

*Opponitur etiam illud, quod omnis clamat auctoritas, ſi ſic permanſiſſet, ut erat ante peccatum, eſſet tranſlatus in gloriam, quam habituri ſunt ſancti: ſed nemo adultus ſine charitate intrat: charitatem ergo habebat.* ¶ *Item opponitur de Moyſe, cujus fidem Apoſtolus in epiſtola ſua ad Hebræos* g *commendans, dignis præconiis ejus merita prædicavit: dum* h *ſe negavit eſſe filium filiæ Pharaonis, malens affligi cum fratribus, quàm perfrui jucunditate temporalis palatii: dum fratri compatiens Ægyptium ſabulo obruit:*

a *In concione ad Catechumenos, verbis hinc inde collectis.* b *al. ſplendidum.* c *abſunt ab orig.* d *Iob. 27.* e *Et.] orig.* f *Gen. 3.* g *Heb. 11.* h *Exod. 2.*

*dum veritus animoſitatem Regis, Ægyptum reliquit: dum divino vallatus auxilio, Regis furorem contempſit, atque in virtute ſignorum populum de Ægypto eduxit. Quæ* a *omnia quibus laudibus ſunt efferenda, ſi tunc charitas in eo non erat, cùm non habeat aliquid viriditatis in ſe ramus boni operis, niſi procedat ex radice charitatis? Quomodo autem charitatem non habebat, cui* b *Dominus facie ad faciem loquebatur, ſicut homo ſolet loqui cum amico ſuo? Quomodo charitatem non habebat, qui pro populo ſupplicans dicebat:* c *(aut dimitte eis noxam hanc, aut me dele de libro tuo?) An non proximum diligebat, qui* d *pro populo ſe objiciens, illum ab interitu liberavit? An non diligebat Deum, qui* e *pro eo in vituli cultores deſæviens, ipſius vituli caput in pulverem comminuit: atque ut in ſeceſſum projiceretur, aqua miſtum Iſraëlitis bibendum dedit, nonnullos ex ejus cultoribus gladio feriri præcipiens, ut populum, cujus erat interitus major futurus, reconciliaret Deo? An* f *non charitatem habebat, de cujus ſpiritu Dominus accepit, & ſuper ſeptuaginta ſeniores Iſrael præpoſuit? Qui tamen ad aquas contradictionis de Dei potentia, ſive de ejus benignitate dubitans, cùm cætera certa fide promiſiſſet, producturus aquam de petra, diffidenter excrepuit, dicens:* g *(Nunquid de petra hac potero vobis ducere aquam?) Quod nulli leve videatur, cùm in pœnam delicti ejus, ſibi & Aaron à Domino dictum ſit. (Quia non exaudiſtis vocem meam, ut glorificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis populum hunc in terram, quam dedi eis.) An* h *charitatem non habebat Aaron, quando fratri coadjutor datus eſt, ut eſſet os ejus ad populum, ut per eum ſigna fierent in Ægypto? Qui* i *tamen in cultura vituli poſtea conſenſum populo adhibuit. An* k *charitatem non habebat, quando ex omni multitudine filiorum Iſrael ſolus à Domino electus eſt, ut pontificatu ante eum fungeretur? Si charitatem non habebat, bonus non erat: Si autem bonus non erat, cur præ cæteris à Domino in Pontificem electus eſt? An charitatem non habebat, quando pro populo cum thuribulo incendio ſe oppoſuit, & iram Dei placavit? Et tamen, ut præmiſſum eſt, ad aquas contradictionis iram Domini adverſum ſe poſtea provocavit. Nunquid etiam David charitatem non habuit, ſuper* l *quem Spiritus Domini à die unctionis directus eſt? An forte dicetur eſſe directus ſuper eum, ut ex tunc gratiam prophetandi haberet, non ut ex eo gratiam divinæ dilectionis acciperet? Quod abſurdum planè videtur de eo ſentire, de quo Dominus ait:* m *(Inveni hominem ſecundùm cor meum.) Quomodo etiam charitatem non habebat, qui* n *quærenti animam ſuam pepercit? qui oram chlamydis ejus præſcidit, poſtea cor ſuum graviter percuſſit, clamans: (Quem perſequeris Rex Iſraël, canem mortuum, & culicem unum?) Quomodo charitatem non habebat, qui* o *mortem inimici ſui tam graviſſimè tulit? Quomodo charitatem non habebat, qui* p *aquam de ciſterna Bethleem ſuorum periculo ſibi oblatam non bibit, ſed coram Domino libavit? Quomodo charitatem non habebat, qui irriſus à Michol filia Saul, eò quòd ante arcam Domini citharam & Pſalterium percutiens ſaltaſſet, ait: (Ludam, & vilior fiam in oculis meis.) Si charitatem non habebat, qua conſcientia ſecurus imprecabatur ſibi ipſi, dicens:* q *(Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis?) Si charitatem non habebat, qua temeritate juſtè ſe judicari rogabat, dicens:* r *(Iudica me Deus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me?) Idem.* s *(Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum?) Et tamen poſt tot & innumera alia divina, & ſupernæ dilectionis judicia, quàm graviter deliquerit, nullus ignorat, qui* t *Bethſabeæ adulterium, & Vriæ homicidium audivit. Cujus pœnitentiam ſi ſine charitate Domino obtulit, veram cordis contritionem non habuit. Quomodo ergo ſacrificium cordis contriti, & Spiritus contribulati Domino promittere audebat, dicens?* a *(Si voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo, Spiritus contribulatus, &c.) Denique cùm falſæ pœnitentiæ nulla à Deo promittatur remiſſio, quomodo à Propheta* b *audire meruit: (Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum,) ſi veram cordis contritionem non habuit? Evidenter itaque apparet, eum tunc charitatem habuiſſe, & ex charitate ſacrificium cordis contriti, & Spiritus contribulati Domino obtuliſſe: alioqui temerariè poſtulaſſet:* c *(Averte faciem tuam à peccatis meis,) & cætera, quæ in eodem Pſalmo continentur, niſi odium mali, & dilectio boni ad humilitatem pœnitentiæ illum provocaſſet. De quo etiam ſanctus Ambroſius* d *in libro de Iſaac, & anima, cap. 3. ſcribit, dicens: (Fugerat* e *ſanctus David odio Saul Regis, non relinquens terras, ſed declinans contagia Regis immitis & ſuperbi: quia mens ejus adhærebat Deo,) cui ſine charitate nullus adultus adhærere poteſt. Et tamen, quàm graviter in populi dinumeratione poſtea deliquerit, ipſius delicti pœna indicavit. Item ſecundùm hanc ſententiam, qui criminaliter deliquerit, veram peccatorum remiſſionem in baptiſmo conſecutus non eſt, ſive in annis infantiæ, ſive adultus ad baptiſmum acceſſit: quia Dei amorem non habuit, ſine quo nemo unquam invenit gratiam: atque ita ſecundum hæreſim Ioviniani, ſi vere ex aqua & Spiritu Sancto quis renatus fuerit, ulterius criminaliter peccare non poteſt? vel ſi criminaliter peccat, aqua tantùm, non Spiritu probatur eſſe renatus. Cui ſententiæ illud epiſtolæ Ioannis* f *conſentire videtur: (Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius manet in eo: & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt. In hoc enim manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli.) Et in fine epiſtolæ: (Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.) Verum hæc auctoritas Apoſtoli, quantum illi ſententiæ faveat, atque illa ſecta erroris quantum veritati ſit adverſa, Hieronymus oſtendit, ſcribens contra Iovinianum, lib. 2. in princip.*

## C. XL.

SI enim, inquit, omnis g, qui natus eſt ex Deo, non peccat, & à diabolo tentari non poteſt; quomodo præcipit, ut caveant, ne tententur? dicens: [Filioli h cuſtodite vos à ſimulachris] & in eadem rurſus epiſtola: [Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, quia non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.] Exiſtimo, quod Ioannes baptizatus ad baptizatos ſcripſerit, & quod omne peccatum à diabolo ſit. Ille peccatorem ſe confitetur, & ſperat remiſſionem, poſt baptiſma, peccatorum. Et Iovinianus meus dicit: [Ne tangas me quoniam mundus ſum.] Quid ergo? Contraria ſibi Apoſtolus i loquitur? minimè. In eodem quippe loco, cur hoc dixerit, ſtatim ediſſerit: k [Filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis: ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi. Et in hoc ſcimus, quòd cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt. Qui autem ſervat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta eſt. In hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.] Propterea, inquit, ſcribo vobis, filioli mei, omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ut non peccetis: & tamdiu ſciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaveritis: imò,

a *B. Gregor. homil. 27.* b *Exod. 33.* c *Exod. 32.* d *Num. 16.* e *Exod. 32.* f *Num. 11.* g *Num. 20.* h *Exod. 4.* i *Num. 23.* k *Numer. 16.* l *1. Regum 16.* m *Actor. 13.* n *1. Regum 24.* o *2. Reg. 1.* p *2. Reg. 33.* q *Pſal. 7.* r *Pſal. 33.* s *Pſal. 25.* t *2. Regum 11.*

a *Pſal. 50.* b *2. Reg. 12.* c *Pſal. 150.* d *Mutatis verbis, ſed incolumi ſententia. Sent. 3. diſt. 30.* e *2. Reg. 34. & Paralip. 21.* f *1. Ioan. 3.* g *Omiſſis aliquot verbis.* h *1. Ioan. 5.* i *1. Ioan. 1.* k *1. Ioan. 2.*

qui

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

qui in generatione Domini perſeverant, peccare non poſſunt. Quæ *a* enim communicatio luci & tenebris? Chriſto & Belial? Quomodo dies & nox miſceri non queunt, ſic nec juſtitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Chriſtus & Antichriſtus. Si ſuſceperimus Chriſtum in hoſpitio noſtri pectoris, illico fugamus diabolum. Si peccaverimus, & per peccati januam ingreſſus fuerit diabolus, protinus Chriſtus recedit: Vnde & David *b* poſt peccatum: [Redde mihi, ait, lætitiam ſalutaris tui:] ſcilicet, quam peccando amiſerat. [Qui *c* dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in eo veritas non eſt.] Chriſtus veritas appellatur: [Ego *d* ſum, inquit, via & veritas,] (& *e* vita.) Fruſtra nobis in eo plaudimus, cujus mandata non facimus. [Scienti *f* bonum, & non facienti illud, peccatum eſt. Quomodo corpus ſine Spiritu mortuum, ſic & fides ſine operibus mortua eſt.] Nec grande putemus unum Deum noſſe, cùm & dæmones *g* credant, & contremiſcant. [Qui *h* dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.]

4 pars. Eligat adverſarius è duobus, quod vult: optionem enim damus: manet in Chriſto, an non manet? Si manet, ita ergo ambulet, ut Chriſtus. Si autem temerarium eſt ſimilitudinem virtutum Domini polliceri, non manet in Chriſto, quia non ingreditur, ut Chriſtus. Ille *i* peccatum non fecit, neque inventus eſt dolus in ore ejus: qui cùm malediceretur, non remaledixit, & tanquam *k* agnus coram tondente, ſic non aperuit os ſuum: ad quem venit Princeps mundi iſtius, & invenit in eo nihil: qui *l* cùm peccatum non feciſſet, pro nobis peccatum eum fecit Deus. Nos autem juxta epiſtolam *m* Iacobi multa peccamus omnes: & nemo mundus à peccatis, nec infans *n*, ſi unius quidem diei fuerit vita ejus. Quis enim *o* gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis *p* confidet mundum ſe eſſe à peccatis? tenemurque *q* rei in ſimilitudinem prævaricationis Adæ. Vnde & David: *r* [Ecce, ait, in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea.] Et beatus Iob: *s* [Si fuero juſtus, os meum impia loquetur: & ſi ſine crimine, pravus inveniar: & ſi purificatus in nive, & lotus mundis manibus, ſatis me ſorde tinxiſti, & execratum eſt me veſtimentum meum.] Verùm, ne penitus deſperemus, arbitrantes nos poſt peccata baptiſmi non poſſe ſalvari, ſtatim hoc ipſum temperat. [Et *t* ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.] Hoc ad credentes poſt baptiſma loquitur, & advocatum pro delictis eorum Dominum pollicetur. Nec dicit ſi quid peccaveritis, advocatum habetis apud patrem, Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis veſtris, ne eos diceres non plena fide baptiſma conſecutos: ſed [advocatum, inquit, habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris,] & non ſolum pro Ioannis, illorumque peccatis, ſed etiam [pro totius mundi.] In toto autem mundo & Apoſtoli ſunt, omneſque credentes. Ex quibus liquidò comprobatur poſt baptiſma poſſe peccari. Fruſtra enim habemus advocatum Ieſum Chriſtum, ſi peccari non poteſt. Petrus Apoſtolus ad quem dictum fuerat: [Qui *u* lotus eſt, non neceſſe habet, ut iterum lavet.] & (Tu *x* es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam) ab ancilla perterritus negat. Et ipſe Dominus: (Simon, *a* Simon, ecce, inquit, ſatanas poſtulavit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficeret fides tua.) *& infrà.* ¶ Si non peccamus poſt baptiſma, cur nobis poſcimus peccata dimitti, quæ in baptiſmate jam ſunt dimiſſa? Quid *b* oramus, ne intremus in tentationem, & ut liberemur à malo, ſi diabolus tentare non poteſt jam baptizatos? Aliud autem eſt, ſi ad catechumenos hæc oratio pertinet, & non convenit fidelibus, & Chriſtianis. Paulus *c* electionis vas caſtigat corpus ſuum, & in ſervitutem redigit, ne aliis prædicans, ipſe reprobus inveniatur. *& infrà.* ¶ Ad Hebræos *d* quoque ſcribens ait: (impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, & guſtaverunt donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaveruntque nihilominùs bonum Dei verbum, virtuteſque ſæculi futuri, & prolapſi ſunt, renovari iterum ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes.) Certè eos, qui illuminati ſunt, & guſtaverunt Dei donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaveruntque bonum Dei verbum, negare non poſſumus baptizatos. Si autem baptizati peccare non poſſunt, quomodo nunc Apoſtolus dicit, (Et prolapſi ſunt?) Verùm ne Montanus *e*, & Novatus hic rideant, qui contendunt non poſſe renovari per pœnitentiam eos, qui crucifixerunt ſibimet filium Dei, & oſtentui habuerunt, conſequenter hunc errorem ſolvit, & ait: *f* (Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora & viciniora ſalutis, tametſi ita loquimur. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis ſuis, & nunc miniſtratis.) Et revera grandis injuſtitia Dei, ſi tantùm peccata puniret, & bona opera non ſuſciperet. Ita locutus ſum, inquit Apoſtolus, ut vos à peccatis retraherem, & deſperationis metu facerem cautiores. Cæterùm confido de vobis, dilectiſſimi, meliora & viciniora ſalutis. Neque enim juſtitiæ Dei eſt, ut obliviſcatur bonorum operum, & miniſterii, quod propter nomen ejus exhibuiſtis, & exhibetis in ſanctos, & tantùm meminerit peccatorum. *& paulò poſt.* ¶ Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur: alioquin, ubi neceſſitas eſt, nec damnatio, nec corona eſt. Sicut in bonis operibus perfectior eſt Deus (non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſerentis, & adjuvantis Dei, ut pervenire valeamus ad calcem) ſic in malis atque peccatis ſemina noſtra ſunt incentiva, & perfectio diaboli. Cùm viderit nos ſuper *g* fundamentum Chriſti ædificare fœnum, ligna, ſtipulam, tunc ſupponit incendium. Ædificemus ergo aurum, argentum, lapides pretioſos: & tentare non audebit. Quanquam & in hoc non ſit certa & ſecura poſſeſſio. Sedet *h* quippe Leo in inſidiis, & in occultis, ut interficiat innocentem: & vaſa figuli probat fornax, homines autem juſtos tentatio tribulationis. Et in *i* alio loco ſcribitur: (Fili accedens ad ſervitutem Dei, præpara te ad tentationem.) Rurſus idem Iacobus loquitur *k* (Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm. Si quis auditor eſt verbi, & non factor, iſte ſimilis eſt viro, qui conſiderat vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit illum, & ſtatim recedens, oblitus eſt qualis ſit.) Fruſtra monuit, ut jungerent opera fidei, ſi poſt baptiſma peccare non poterant. (Qui *l* totam legem, inquit, ſervaverit, & peccaverit in uno, factus eſt omnium reus.) Quis *m* noſtrûm abſque peccato? concluſit Deus omnia ſub delicto, ut omnibus miſereatur. Petrus *n* quoq;: (Novit, inquit, Dominus pios de tentatione eruere, & de falſis doctoribus:) Hi *o* ſunt fontes

a 2. *Corinth.* 6. b *Pſal.* 50. c *Ioann.* 14. d 1. *Ioann.* 2. e *abſens à B. Hieronym.* f *Iac.* 4. g *Iac.* 2. h *Ioan. ibid.* i 1. *Petr.* 2. k *Ioan.* 14. l 2. *Corint.* 5. m *Iac.* 5. n *abeſt ab orig.* o *Iob* 14. *ex* 70. p *Prov.* 20. q *Rom.* 5. r *Pſ.* 50. s *Iob* 9. *ex* 70. *quibuſdam omiſſis.* t *Ioan. ibidem.* u *Ioan.* 13. x *Matth.* 16.

a *Luc.* 22. b *Matth.* 6. c 1. *Cor.* 9. d *Hebr.* 6. e *De Montani ſectatoribus vide eundem in ep. ad Marcellum.* f *Rom.* 9. g 1. *Cor.* 3. *Pſ.* 9. h *Eccl.* 28. i *Eccleſ.* 3. k *Iac.* 1. l *Iac.* 2. m *Ioan.* 8. n 2. *Pet.* 2. o *Petr. ibid.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Superbia *a* enim vanitatis loquentes pelliciet in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugerant, & ad errorem reverſi ſunt. ] Nónne tibi videtur pinxiſſe ſermo Apoſtolicus novam imperitiæ factionem. Aperiunt enim fontes quaſi ſcientiæ, qui cùm aquam non habeant doctrinarum, promittunt imbrem, velut nubes Propheticæ, ad quas perveniat veritas Dei, & turbinibus exagitantur dæmonum atque vitiorum. Loquuntur grandia, & totus eorum ſermo ſuperbia eſt ( immundus *b* eſt autem apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum: ) ut qui paululum refugerant à peccatis, ad ſuum revertantur errorem, & ſuadent in luxuria ciborum, carniſque delitias. Quis enim non libenter audiat: Manducemus, *c* & bibamus, & in æternum regnabimus? Sapientes & prudentes, pravos vocant: eos verò, qui dulces ſunt in ſermonibus, plus audiunt. Ioannes *d* Apoſtolus, imò in Ioanne Salvator ſcribens Angelo Epheſi eccleſiæ, [Scio, inquit opera tua, & laborem, & patientiam tuam, &c. & quia ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti: ſed habeo adverſum te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto, unde cecideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco, niſi pœnitentiam egeris.] Similiter *e* & cæteras eccleſias, Smyrnam, Pergamum, Thyatiram, Sardis, Philadelphiam, Laodiciam, ad pœnitentiam provocat: & niſi revertantur ad opera priſtina, comminatur: & in Sardis paucos habere ſe dicit, qui non coinquinaverunt veſtimenta ſua, & ambulaturi ſunt cum eo in albis, quia digni ſunt. Cui autem dicit: [Memento, unde cecideris,] &: [Ecce miſſurus eſt diabolus ex vobis in carcerem ut tentemini,] &: [Scio, ubi habitas, ubi ſedes eſt ſatanæ,] &: [In mente habe, qualiter acceperis & audieris,] &: [Serva, & pœnitentiam age,] & reliqua? utique ei dicit, qui credidit, & baptizatus eſt, & ſtans quondam, corruit per delictum. Pauliſper de veteri teſtamento exempla diſtuleram: quia ſolent, ubicunque contra eos facit, dicere: [Lex, *f* & Prophetæ uſque ad Ioannem:] Cæterùm quis ignorat ſub alia *g* diſpenſatione Dei omnes retrò ſanctos ejuſdem fuiſſe meriti, cujus nunc Chriſtiani ſunt? Quomodo ante Abraham placuit in conjugio, ſic nunc virgines placent in perpetua caſtitate. Servivit *h* ille legi, & tempori ſuo: ſerviamus & nos Evangelio, & tempori noſtro, in quos fines ſæculorum decurrerunt. David *i* electus ſecundùm cor Domini, qui omnes ejus fecerat voluntates, & qui in quodam Pſalmo dixerat: [Iudica *k* me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperans non infirmabor. Proba me Domine, & tenta me: ure renes meos, & cor meum,] poſtea tentatur à diabolo, & poſt peccatum pœnitens loquitur. [Miſerere mei *l* Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam.] Magnum peccatum magna deleri vult miſericordia. Salomon *m* amabilis Domini, & cui bis Deus fuerat revelatus, quia amator mulierum fuit, à Dei amore diſceſſit: Manaſſem *n* impiiſſimum Regem poſt captivitatem Babylonicam in priſtinam dignitatem liber dierum reſtitutum refert. Et Ioſias vir ſanctus in campo Mageddo ab Ægyptio Rege confoditur. Ieſus *o* quoque filius Ioſedech ſacerdos magnus, quanquam in typo præceſſerit Salvatoris, qui noſtra peccata portavit, & alienigenam ſibi ex gentibus eccleſiam copulavit, tamen ſecundùm literam poſt ſacerdotium ſordidatus inducitur *a*, & ſtat diabolus à dextris ejus: & candida illi veſtimenta deinceps redduntur. Superfluum eſt de Moyſe & Aaron ſcribere, quòd ad *b* aquam contradictionis offenderint Deum, & terram repromiſſionis non intraverint: cùm beatus Iob *c* angelos quoque & omnem creaturam peccare poſſe commemoret, dicens: [Quid enim? Nunquid homo coram Deo mundus eſt? aut in operibus ſuis ſine macula vir? ſi contra ſervos ſuos non credit, & adverſum Angelos ſuos pravum quid reperit: quantò magis habitantes in domibus luteis, de quibus & nos ex eodem luto ſumus? Tentatio *d* eſt vita hominis ſuper terram.] Et *e* cecidit lucifer, qui mittebat ad univerſas nationes: & ille, qui in paradiſo delitiarum inter duodecim nutritus eſt lapides, vulneratus à morte *f* Domini, ad inferna deſcendit. Vnde & Salvator in Evangelio: *g* [Videbam, inquit, ſatanam, quaſi fulgur de cœlo cadentem.] Si altiſſima illa ſublimitas cecidit, quis cadere non poſſit? Si in cœlo ruinæ, quantò magis in terra? Et tamen cùm *h* ceciderit lucifer, imò poſt caſum coluber *i* antiquus, virtus ejus in lumbis ejus, & poteſtas ejus ſuper umbilicum ventris. Obumbrantur in eo arbores magnæ, & dormit *k* juxta juncum, & calamum, & caricem. Ipſe eſt Rex omnium quæ in aquis ſunt, ubi ſcilicet voluptas, & luxuria, & propago, & irrigatio nuptiarum. *& infra.* ¶ Tranſivimus *l* ad ſecundam partitionem, in qua negat eos, qui tota fide baptiſma conſecuti ſunt, deinde poſſe peccare, & docuimus, quòd excepto Deo, omnis creatura ſub vitio ſit, non quòd univerſi peccaverint, ſed quòd peccare poſſint, & ſimilium ruina, ſtantium metus ſit.

*¶ Ut ea, quæ ad initium hujus longi capitis ſpectant, melius intelligantur, neceſſe eſt antecedentia apud B. Hieronymum legere: in quibus objectio ex verbis ſancti Ioannis deducta exprimitur. Omninoque in toto capite ſæpe ad originale recurrendum eſt, quanquam ex eo multa ſunt emendata, & nonnulla quæ magis neceſſaria videbantur, addita.*

*Evidenter itaque ex præmiſſis apparet, nonnullos charitatem habere, quam habere criminaliter delinquendo amittunt. Quòd ſi quis contendat non de virtute, ſed de virtutis opere debere intelligi, deliberet, quid reſpondeat de innocentia Adæ, de juſtitia Moyſi, David & cæterorum, qui plena fide baptiſma accedentes, licet poſtea prolapſuri ſunt, tamen cœleſtia dona deguſtant, & Spiritus* m *Sancti fiunt participes, ut non ſolùm ante humanos, verùm etiam ante Dei oculos ex aqua & Spiritu Sancto inveniantur renati: qui ſi charitatem Dei non haberent, aqua tantùm regenerarentur, non Spiritu. Opera enim, ſeu ſacramentorum participatio, niſi ex charitate procedant, apud Deum nec juſtitiam, nec innocentiam præſtant. Si enim (inquit Apoſtolus) habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, & ſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt. ¶ Sed quia de prædeſtinatis ad vitam à nonnullis conceditur, quòd charitatem amittant, & amiſſam recuperent, de reprobis etiam videndum eſt, an ipſi charitatem habeant, qua amiſſa poſtea damnentur.*

## C. XLI.

*De his ita ſcribit* Auguſtinus *in lib. de correptione & gratia, c. 9.*

APoſtolus *n* ſciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono uſque in finem non permanere, mox addidit: [his, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt, &c.] *Idem in eodem libro, cap. 6.* ¶ An adhuc & iſte nolens corripi, poterit dicere: Quid ergo feci, qui 1 non accepi?

a *al. Superbia.*] *orig.* b *Eſa. 22.* c *1. Corinth. 15.* d *Apocal. 2.* e *Apocal. 3.* f *Matth. 11.* g *al. altera. Supr. 32. quæſt. 4. quis ignorat.* h *Rom. 4.* i *1. Corinth. 10.* k *Pſ. 25.* l *Pſalm. 50.* m *2. Regum 2.* n *2. Paral. 33.* o *Suprà, diſtinct. 60. Ieſus.*

a *Zach. 3.* b *Pſal. 108. Num. 20.* c *Iob. 15. & 4.* d *Iob. 7.* e *Eſa. 14.* f *al. monte.* g *Luc. 10.* h *Eſ. 14.* i *Ezech. 28.* k *Iob. 40.* l *Prope finem ſecundi libri.* m *1. Corinth. 13.* n *Roman. 8.*

quem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quem conſtat accepiſſe, & ſua culpa, quod acceperat, amiſiſſe. Poſſum, inquit, poſſum omninò, quando me arguis *a*, quòd ex bona vita in malam mea voluntate relapſus ſum, dicere adhuc: quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur, ſed in illa uſque in finem perſeverantiam non accepi. *In eod. cap. 9.* ¶ In *b* bono illos volebat proculdubio permanere, erant utique in bono, ſed in eo non permanſerunt. *In eod. cap. 14.* ¶ Propter hujus utilitatem ſecreti, credendum eſt quoſdam de filiis perditionis, non accepto dono perſeverandi uſque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter & juſtè vivere, & poſtea cadere, &c.

1 ¶ Qui non accepi?] *Reſtitutus eſt hic locus ex originali: nam antea valde erat depravatus. Ac tamen, quoniam hæ ſententiæ valde mutilatæ referuntur, operæ pretium fuerit ad fontem adire.*

*Multa ſimilia de reprobis in Evangelio* c *etiam.* [*Qui perſeveraverit uſque in finem, &c.*] *In eodem* d [*Iterum homo iſte incipit, &c.*

C. XLII.

Idem Auguſtinus *in eod. lib. de corrept. & gratia, c. 8.*

Mirandum *e* eſt, quare Deus quibuſdam filiis perditionis det fidem operantem per dilectionem, nec det in ea perſeverantiam.

Item illud f Evangelii: [*Non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*]

C. XLIII.

Item Gregorius *lib. Moralium, c. 35.*

Multi bene incipiunt, qui in malo vitam finiunt.

*Non autem bene incipit, qui nunquam ex charitate operatur. Quòd ſi ex charitate aliquando aliquid agit, & charitatem aliquando in ipſo neceſſe eſt eſſe.*

§ pars. *Illud autem Gregorii.* g [*qui ſeduci quandoque non reverſuri poſſunt, &c.*] *non de omnibus generaliter reprobis, ſed de hypocritis ſpecialiter intelligendum eſt. Quod ex verbis ejusdem evidenter datur intelligi. Cùm enim quæſtionem propoſuiſſet, cur* h *miſericors Deus iſta fieri permittat, ut Leviathan ſeu nunc per ſuggeſtiones callidas, ſive tunc per damnatum illum, quem replet, hominem, vel Solis ſibi radios, id eſt, doctos quoſque, ſapientesq́ ſubjiciat, vel aurum, hoc eſt, viros ſanctitatis claritate fulgentes, quaſi lutum ſibi, vitiis coinquinando, ſubſternat, mox in ejuſdem quæſtionis ſolutione ſuppoſuit, dicens.*

C. XLIV.

Citius ad *i* hoc reſpondemus: quia aurum, quod pravis ejus perſuaſionibus, quaſi lutum ſterni potuerit, aurum ante Dei oculos nunquam fuit. Qui enim ſeduci quandoque non reverſuri poſſunt, quaſi habitam ſanctitatem ante oculos hominum videntur amittere: ſed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt. Sæpe namque homo multis occultè peccatis involvitur, & in una aliqua virtute magnus videtur, quæ ipſa quoque virtus inaneſcens deficit: quia dum innoteſcit hominibus, proculdubio laudatur, ejusq́ue laus inhianter appetitur: unde fit, ut & ipſa virtus ante Dei oculos virtus non ſit, dum abſcondit quod diſplicet, prodit quod placet. Quæ itaque eſſe merita apud Deum poſſunt, quando & mala occulta ſunt, & bona publica? Plerunque enim ſicut diximus, latet ſuperbia, & caſtitas innoteſcit. Atque ideò oſtenſa diu charitas circa vitæ finem perditur, quia cooperta ſuperbia uſque ad finem incorrecta retinetur. Alius eleemoſynis vacat, propria diſtribuit: ſed tamen multis injuſtitiis ſervit, vel fortaſſe linguam in detractionibus *k* exercet: & fit plerunque, ut is, qui miſericors fuerat, juxta vitæ ſuæ terminum rapacitatis & crudelitatis ſtimulis inardeſcat. Quod valde juſto judicio agitur, ut perdat ante homines, unde hominibus placuit, qui hoc, unde Deo diſplicuit corrigere nunquam curavit. Alius patientiæ ſtudet: ſed dum invidere aliis, & ſervare in corde malitiam non cavet, fit quandoque impatiens, quia diu latuit dolens. Hi itaque & per aliquid, aurum ſunt, & per aliquid, lutum ſunt. Atque hoc aurum, quaſi lutum, ſternitur, quando occultis peccatis exigentibus etiam virtus, quæ publicè claruerat, diſſipatur. Sed operæ pretium credimus, ſi in his virtutem ſuperni ordinis ſubtilius perpendamus. Sæpe *a* enim omnipotens Deus occulta quorundam mala diu *b* tolerat, ut aperta eorum bona electorum ſuorum uſibus profutura diſpenſet. Nam nonnulli mundum nequaquam funditus deſerentes, non perſeveraturi anguſtum iter arripiunt: ſed ad quærendam anguſtam viam exemplo ſuo eos, qui perſeveraturi ſunt, accendunt. Vnde plerunque contingit, ut ipſum hoc, quod bene videntur vivere, non ſibi, ſed ſolis potius electis vivant: dum exemplis ſuis ad bene vivendi ſtudia perſeveraturos alios non perſeveraturi provocant. Sæpe enim quoſdam videmus viam ingredi, & ad locum propoſitum feſtinare, quos alii, quia euntes conſpiciunt, ſequuntur, eundemq́ue locum pariter petunt: ſed fit plerunque, ut irruente aliquo implicationis articulo poſt ſe redeant, qui præibant, & hi ad locum perveniant, qui ſequebantur. Ita nimirum ſunt qui non perſeveraturi, viam ſanctitatis arripiunt. Idcirco enim virtutis iter non perventuri inchoant, ut eis, qui perventuri ſunt, viam, qua gradiantur, oſtendant: quorum etiam caſus utilitate non modica electorum provectibus *c* ſervit: quia illorum lapſum dum conſpiciunt, de ſuo ſtatu contremiſcunt, & ruina, quæ illos damnat, iſtos humiliat. Diſcunt enim in ſuperni adjutoris protectione confidere, dum pleroſque conſpiciunt de ſuis viribus præſumentes *d* cecidiſſe. Quando ergo bene agere videntur reprobi, quaſi planum iter electis ſequentibus monſtrant. Quando verò in lapſum nequitiæ corruunt, electis poſt ſe pergentibus, quaſi cavendam ſuperbiæ foveam oſtendunt.

*Quòd verò reprobi negantur comedere panem, qui de cœlo deſcendit, vel bibere aquam* e *vivam, non ſic accipiendum eſt, ut à charitate penitus credantur alieni, ſed ut in charitate radicem figere non intelligantur. Aliud eſt enim bibere, vel manducare, atque aliud deguſtare. Vnde in Evangelio de Chriſto legitur* f: [*Et cùm guſtaſſet noluit bibere.*] *Bibit ergo aquam vivam, & manducat panem qui de cœlo deſcendit, qui in charitate radicem figit: deguſtat, qui ei aliquatenus communicat, à qua poſtea delinquendo recedit. De quibus Apoſtolus* g *dicit:* [*Impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt, & guſtaverunt donum cœleſte, & poſthac omnia prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam.*] *Hinc etiam diabolus in veritate ſtetiſſe, non in ea creatus eſſe negatur* h. *Fuit enim in veritate conditus: ſed dum de ſe ſuperbiendo præſumpſit, alienus ab ea factus eſt. In veritate autem quomodo eſſe creatus perhibetur, ſi ſine dilectione ſui conditoris creatus eſſe probatur? Aut quomodo bonus à Deo conditus aſſeritur, ſi nihil divinæ dilectionis in ſui conditione acceperit? Quomodo ante ſuperbiæ motum ſine vitio extitit, ſi conditorem ſuum nullatenus dilexit? Aut quomodo prior ſive excellentior cæteris creatus dicitur, ſi nonnullis eorum in amore Dei conditis, hic ab ejus dilectione vacuus eſt? Vnde autem hæc differentia inter bonos & malos, proceſſit? Si ex creante, injuſtus videtur Deus, qui ante peccatum infert pœnam, vel qui hoc punit, quando creando infudit. Si autem non ex creante, cùm non ex traduce, reſtat ut ex propriæ libertatis arbitrio vitium ſuperbiæ in angelicam naturam proceſſerit. Bona ergo con-*

a *al. Arguit.*] *orig.* b *Infr. diſtinct. 4. ex bono. §. cùm ergo.* c *Matth. 10.* d *Hæc non ſunt inventa.* e *Summatim collecta ſententia.* f *Matth. 10. Potius gloſſ. ordin. 2. Paralip. c. 9. in extremo §. c. prox.* g *Lib. 34. moralium, c. 9. & 10. ad c. 41. Iob.* h *Iob 41.* i *Sup. in verbis Gratiani.* k *al. detractationibus.*] *orig.*

a *Cap. 10.* b *abeſt ab orig.* c *al. profectibus.* d *abeſt ab orig.* e *Supr. ead. charitas eſt aqua.* f *Matth. 27.* g *Hebræor. 6.* h *Ioan. 8.*

*dita eſt, quæ ſuo vitio à bono in malum commutata eſt. Sed quomodo bona eſſe potuit, ſi dilectione penitus caruit? Neque enim angelus nobis ſimilis factus eſt, quos uſque ad certum tempus ætatis infirmitas gravat, ut neque virtus neque vitium, ullum locum in nobis obtineat. Accepit ergo dilectionem in ſui creatione, ſicut & cæteri, de quibus dicitur:* [*Angelicæ virtutes, quæ in Dei amore perſtiterunt.*] *Non ait, quæ diligere Deum cœperunt, ſed* [*quæ in ejus amore perſtiterunt:*] *quæ ex creatione diligere cœperunt, ut principium divinæ dilectionis omnibus credatur eſſe commune, perſeverantia verò eorum tantummodo intelligatur, qui in retributione hoc accipere meruerunt, ut confirmati ulterius cadere non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè ſcirent. Vnde bene apud Moyſem prius cœlum, deinde firmamentum factum eſſe dicitur: quia nimirum angelica natura prius æqualiter ſubtilis in ſuperioribus eſt condita, poſtea in perſiſtentibus in amore ſui conditoris mirabiliter confirmata.*

## C. XLV.

*Hinc etiam* Gregorius *in moralibus* a *multa de perfectione angelicæ creationis replicans, charitate negat repletum, non ea penitus vacuum aſſerit, quâ, ſi penitus caruiſſet, nunquam ea, quæ de ejus excellentia dicuntur, convenienter de eo intelligi poſſent.*

PRincipium enim (*inquit B. Gregorius*) viarum Dei Beemoth dicitur *b*: quia nimirum, cùm cuncta creans ageret, hunc primum condidit, quem reliquis angelis eminentiorem fecit. Hujus primatus eminentiam conſpicit Propheta *c*, cùm dicit: [Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei: abietes non adæquaverunt ſummitatem ejus: platani non fuerunt æquales *d* frondibus illius: omne lignum *e* paradiſi Dei non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini ejus: quoniam ſpecioſum fecit eum in multis, condenſiſque frondibus.] Qui namque accipi in cedris, & abietibus, & platanis poſſunt, niſi illa virtutum cœleſtium proceræ celſitudinis agmina, in æternæ lætitiæ viriditate plantata? Quæ quamvis excelſa ſunt condita, huic tamen nec prælata ſunt, nec æquata, qui ſpecioſus factus in multis, condenſiſque frondibus eſſe dicitur, quia prælatum cæteris legionibus tanta illum ſpecies pulchriorem reddit, quanta ei *f* ſuppoſita angelorum multitudo decoravit. Iſta arbor in paradiſo Dei tot quaſi condenſas frondes habuit, quot ſepoſitas ſupernorum Spirituum legiones attendit. Qui idcircò peccans, ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus. Hinc ei rurſum per eundem Prophetam *g* dicitur. [Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delitiis paradiſi Dei fuiſti.] Multa enim de ejus magnitudine locuturus primo verbo cuncta complexus eſt. Quid namque boni non habuit, qui *h* ſignaculum Dei ſimilitudinis fuit? De ſigillo quippe annuli talis ſimilitudo imaginaliter exprimitur, qualis in ſigillo eodem eſſentialiter habetur. Et licet homo ad ſimilitudinem Dei creatus ſit, angelo tamen quaſi majus aliquid tribuens, non eum ad ſimilitudinem Dei conditum, ſed ipſum ſignaculum Dei ſimilitudinis dicit: ut quò ſubtilior *i* eſt in natura, eò in illo ſimilitudo Dei plenius credatur expreſſa. Hinc *k* eſt, quòd primatus ejus potentiam adhuc inſinuans idem Propheta ſubjungit: [Omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius, & topazius, & jaſpis, chryſolitus, onyx, & berillus, ſaphyrus, carbunculus, & ſmaragdus.] Novem dixit genera lapidum, quia nimirum novem ſunt ordines angelorum. Nam cùm per ipſa ſacra eloquia angeli, archangeli, throni, dominationes, virtutes, principatus, poteſtates, Cherubim & Seraphim aperta narratione memorantur, quantæ ſint ſupernorum civium diſtinctiones oſtenditur: quibus tamen Beemoth iſte opertus fuiſſe deſcribitur: quia eos, quaſi veſtem ad ornamentum ſuum habuit, quorum dum claritatem traſcenderet, ex eorum comparatione clarior fuit. De cujus illic adhuc deſcriptione ſubjungit: [Aurum *a* opus decoris tui: & foramina tua in die, qua conditus es, præparata ſunt.] Aurum opus decoris ejus extitit, quia ſapientiæ claritate canduit, quam benè creatus accepit. Foramina verò idcircò in lapidibus fiunt, ut vinculati auro in ornamenti compoſitione jungantur, & nequaquam à ſe diſſideant: quos interfuſum aurum repletis foraminibus ligat. Hujus ergo lapidis in die conditionis ſuæ foramina præparata ſunt: quia videlicet capax charitatis eſt conditus: quaſi repleri voluiſſet, ſtantibus angelis, tanquam poſitus in Regis ornamento lapidibus potuiſſet inhærere. Si enim charitatis auro ſeſe penetrabilem præbuiſſet, ſanctis angelis ſociatus in ornamento, ut diximus, Regio lapis fixus maneret. Habuit ergo lapis iſte foramina: ſed ſuperbiæ *b* vitia, charitatis auro non ſunt repleta. Nam quia idcircò ligantur auro, ne cadant, idcircò iſte cecidit, quia etiam perforatus manu artificis, amoris vinculis ligari contempſit. Nunc autem cæteri lapides qui huic ſimiliter fuerant perforati, penetranti ſe invicem charitate ligati ſunt: atque hoc in munere, iſto cadente meruerunt, ut nequaquam jam de ornamento Regio cadendo ſcindantur. Hujus principatus celſitudinem adhuc idem Propheta intuens adjungit. [Tu *c* Cherub extenſus *d*, & protegens in monte ſancto Dei, & in medio lapidum ignitorum perfectus ambulaſti.] Cherub quippe plenitudo ſcientiæ interpretatur: & idcircò iſte Cherub dicitur, quia tranſcendiſſe cunctos ſcientia non dubitatur, qui in medio ignitorum perfectus ambulavit: quia inter angelorum corda charitatis igne ſuccenſa clarius gloria conditionis extitit. Quem bene extentum, ac protegentem dicit. Omne enim, quod extenti protegimus, obumbramus: quia comparatione claritatis ſuæ cæterorum claritatem obumbraſſe creditur, ipſe extentus, & protegens fuiſſe reperitur. Reliquos *e* enim quaſi obumbrando operuit, qui eorum magnitudinem excellentia majore tranſcendit. Quod ergo illic ſpecioſus in multis frondibus, quod illic ſignaculum ſimilitudinis, quod illic cherub, quod illic protegens dicitur, hoc hic voce Dominica Beemoth iſte viarum Dei principium vocatur. De quo idcircò tam mira, in quibus fuit, quæ amiſit, inſinuantur, ut territo homini oſtendat, quid ipſe, ſi ſuperbiat, de elationis ſuæ culpa paſſurus ſit, ſi feriendo illi parcere noluit, quem creando in gloria tantæ claritatis elevavit. Conſideret ergo homo, quid elatus in terra mereatur, ſi & prælatus angelis angelus in cœlo *f*, de cœlo in terram proſternitur.

6 pars. *Charitas autem, quæ in adverſitate deſeritur, ficta, id eſt, fictilis, & fragilis eſſe perhibetur, ſicut fides, ex qua charitas procedit, ficta, id eſt, fragilis apud Apoſtolum eſſe negatur. Similiter charitas, quæ in adverſitate deſeri poteſt, dicitur verè nunquam fuiſſe. Sicut* g *enim Hieronymus contra Iovinianum ſcribit:* [*Omnis creatura ſub vitio eſt, non quòd omnis peccaverit, ſed quia nulla eſt, quæ peccare non poſſit.*] *Poſſe autem peccare, ut* h *Auguſtinus ait, non eſt aliquid poſſe, imò aliquid non poſſe. Vnde ſolus vocatur omnipotens, qui hoc non poteſt, quia omnia poſſe, quæ poſſe, eſt aliquid poſſe. Sicut ergo ejus comparatione, qui mutabilitatem neſcit, omnis ceatura vitioſa dicitur, quia mutabilitatis eſt capax, juxta illud:* [*non* i *juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, &c.*] *ſi comparatione* k *ejus creatura, quæ mutationis*

a *Greg. lib. 32. Mor. ca. 42. al. 18.* b *Iob 40.* c *Eſa. 2. & 14. Ezech. 31.* d *alit. æqua.* e *al. lignum pretioſum.* f *al. &.* g *Ezech. 28.* h *al. ſi.* i *al. ſublimior.* k *Eod. lib. moral. c. ſequenti. Vide homiliam 34. in Evangelia.*

a *Ezechiel. 28.* b *al. per ſuperbiæ vitium.* c *al. ant...* d *Ibid. Variat paulum à vulgata: ſed majores varietates in Græ...* e *Eod. lib. c. ſequent.* f *in cœlo proſternitur.*] *orig.* g *S...* *ſi enim.* h *Sent. 1. diſt. 42. C. lib. 15. de Trin. c. 15. & de ſ... fides, c. 1.* i *Pſ. 142.* k *Iob 15.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*recipit, omnis creatura, quæ permutatur, non vera, ſed vana eſſe probatur. Unde* a *omnis homo mendax dicitur, & vanitati ſimilis factus. Hinc etiam* b *Eccleſiaſtes: Cuncta quæ ſub ſole ſunt, id eſt, quæ temporum viciſſitudinem recipiunt, non tantummodo vanitas, quæ omni creaturæ ratione mutabilitatis ineſt, ſed etiam vanitas vanitatum, varietate permutationis, quam recipiunt, eſſe dicuntur. Sic ergo comparatione divinæ charitatis nulla virtus vera probatur: aut comparatione ejus, quæ non deſeritur, illa, quæ amittitur, vera eſſe negatur. Sicut autem omnis creatura ſuo modo bona, & vera eſſe dicitur, ſic & charitas, quæ deſeritur, ſuo modo bona, & vera eſſe monſtratur: alioquin à nullo dc ſereretur, ſi nullo modo in eo eſſet. Quod enim nullo modo verè eſt, nullo modo deſeri poteſt. Quòd ſi aliquo modo verè deſeritur, & aliquo modo id verè eſſe oportet.*

## DISTINCTIO III.

1 ps *HÆc de charitate breviter ſcripſimus propter eos, qui pænitentiam negant reiterari poſſe, aſſerentes, quòd ſicut charitas ſemel habita nunquam amittitur, ita pænitentia ſemel verè celebrata, nulla ſequenti culpa maculatur: ſi verò criminalis culpa illam aliquando ſequitur, vera pænitentia non fuit, nec veniam unquam à Domino impetravit. Quod ex definitione ipſius pænitentiæ, & multorum auctoritatibus probare contendunt.*

### C. I.

*Ut enim* Ambroſius *ait in quodam ſermone* c *Quadrageſimæ.*

POenitentia eſt, & mala *d* præterita plangere, & plangenda iterum non committere.

### C. II.

Idem *in lib. 2. de unica pænitentia, c. 10.*

REperiuntur 1, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè agerent pœnitentiam, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut unum baptiſma, ita 2 & unica pœnitentia. Verum præteriti ſemper nos debet pœnitere peccati: ſed hoc delictorum leviorum. At ego *f* facilius inveni, qui innocentiam ſervaverint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.

1 ¶ Reperiuntur] *In originali eſt*, Meritò reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant: quia luxuriantur, &c. *ut ſup. diſt. 50. ſi quis poſt.*

2 ¶ Ita & unica] *Locus hic, qui ob gloſſas incurrentes non eſt emendatus, apud B. Ambroſium ſic habet:* ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum. Facilius autem inveni, &c.

### C. III.

Item Auguſtinus *libro de dogmatibus eccleſiaſticis, c. 54.*

SAtisfactio *g* pœnitentiæ eſt, peccatorum cauſas excidere, nec earum ſuggeſtionibus aditum indulgere.

### C. IV.

Idem *in lib. de vera & falſa pænitentia, c. 8.*

POenitentia *h* eſt quædam dolentis vindicta, puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. *& j. c. 19.* ¶ Continuè dolendum eſt de peccato: quod declarat ipſa dictionis virtus. Pœnitere enim eſt pœnam tenere: ut ſemper puniat in ſe ulciſcendo, quod commiſit peccando. Pœna enim propriè dicitur læſio quæ punit & vindicat quod quiſque commiſit. Ille igitur pœnam tenet, qui ſemper punit quod commiſiſſe dolet.

*Pænitentia* i *itaque eſt vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.*

### C. V.

*In eodem libr. c. 13.*

SI Apoſtolus *a* etiam peccata per baptiſmum dimiſſa continuè plorat, nobis etiam ſuper fundamentum Apoſtolorum poſitis quid præter plorare reſtat? quid niſi ſemper dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu enim gaudeat, & ſperet de gratia, quamdiu ſuſtentatur à pœnitentia. Dixit enim Dominus *b*: [Vade, & amplius jam noli peccare.] Non dixit, ne pecces, ſed, nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo ſervabitur, niſi dolor continuè in pœnitentia cuſtodiatur? Hinc ſemper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentia, ſi contigerit, ſemper doleat: & non ſatis, quòd doleat, ſed ex fide doleat, & non ſemper doluiſſe doleat.

### C. VI.

*Item* Gregorius *in æſtivum* c *tempus, [id eſt, homil. 34. Evang.]*

POenitentiam agere dignè non poſſumus, niſi modum quoque ejuſdem pœnitentiæ cognoſcamus. Pœnitentiam quippe agere eſt, & perpetrata *d* mala plangere, & plangenda non perpetrare. Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat. Quid enim prodeſt, ſi peccata quis luxuriæ defleat, & tamen adhuc avaritiæ æſtibus anhelat? *Idem lib. 9. epiſt. 39. ad Theoriſtam.*

¶ Sunt *e* qui dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere ſufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire. Rectè eos paſtoris primi percutit ſententia, qui ait: *f* [Contingit illis illud veri proverbii, canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota in volutabro luti.] Magna eſt enim contra peccatum virtus pœnitentiæ, ſed ſi quis in eadem pœnitentia perſeveret. *& j.* ¶ Pœnitentiam verè agere eſt, commiſſa *g* plangere, & *h* iterum plangenda declinare.

### C. VII.

*Item* Auguſtinus *tractatu 124. in c. 21. Ioannis.*

PRoductior *i* eſt enim pœna, quàm culpa, ne parva putaretur culpa, ſi cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc vel ad demonſtrationem debitæ miſeriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitationem neceſſariæ patientiæ temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem ſempiternam reum non detinet culpa. *& paulò poſt.* ¶ Ita Dei non eſt ut hominis, id eſt, perturbatio concitati animi, ſed tranquilla juſti ſupplicii conſtitutio.

### C. VIII.

*Item* Ioannes *os aureum in homilia de pænitentia.*

PErfecta *k* pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre. *& j.* ¶ In corde ejus contritio eſt, in ore ejus confeſſio, in opere tota humilitas. Hæc eſt perfecta & fructifera pœnitentia.

### C. IX.

*Item* Smaragdus *in* l *expoſitione regulæ S. Benedicti, c. 4.*

ILle pœnitentiam dignè agit, qui, quæ commiſit, ſic præterita mala deplorat, ut futura iterum non committat. Nam qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi ſi quis lavet laterem crudum: quia quantò magis laverit, tantò magis lutum facit.

### C. X.

*Item* Auguſtinus *homil. 41.*

POenitentes *m* (ſi tamen eſtis pœnitentes, & non eſtis irridentes) mutate vitam, reconciliamini Deo.

a *Pſal. 115. & 143.* b *Eccleſ. 1.* c *In ſermone manuſcripto ſæpe citato, cujus initium: [Ecce nunc.]* d *Gregor. lib. 9. epiſt. 29. & hom. 34. in Evang. Sent. 4. diſt. 14. Ivo p. 15. c. 1.* e *Infr. ead. pænitentiam. Sent. ib.* f *Sup. diſt. 50. ſi quis poſt.* g *Sup. diſt. 1. ſunt qui.* h *Sent. 4. diſt. 17.* i *Sent. ibid.*

a *Rom. 6.* b *Ioann. 8.* c *Sic incipit homilia 34. Æſtivum tempus.* d *Sup. ead. pænitentia eſt.* e *Si autem dicunt.] orig.* f *2. Pet. 2.* g *al. fieri.] orig.* h *al. ſed iterum.] orig.* i *Facit ad hoc. Beda li. quæſt. q. 10.* k *Sup. diſt. 1. perfecta.* l *Iſidorus de ſummo bono, lib. 2. c. 13.* m *Sent. 4. diſt. 15.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

& vos cum catena paſcetis. Qua inquis, catena? [Quæ *a* ligaveris in terra, erunt ligata & in cœlo.] Audis ligaturam, & Deo putas facere impoſturam? pœnitentiam agis, genua figis, & rides, & ſubſannas patientiam Dei? Si pœnitens es, pœnitet te: ſi non pœnitet, pœnitens non es. Si ergo pœnitet, cur facis, quòd malè feciſti? ſi feciſſe pœnitet, noli facere: ſi adhuc facis, certè non es pœnitens.

C. XI.

*Item* Iſidorus *lib. 2. de ſummo bono, c. 16.*

IRriſor eſt *b*, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet, nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus, canis reverſus ad vomitum eſt pœnitens ad peccatum. Multi enim lachrymas indeſinenter fundunt, & peccare non deſinunt. Quoſdam accipere lachrymas ad pœnitentiam, & affectum pœnitentiæ non habere conſtat: quia inconſtantiæ mentis, nunc recordatione peccati lachrymas fundunt, nunc verò reviviſcente uſu ea, quæ fleverant, iterando committunt. Eſaias *c* peccatoribus dicit: [Lavamini, mundi eſtote.] Lavatur itaque, & mundus eſt, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit. Lavatur, & non eſt mundus, qui plangit quæ geſſit, nec tamen deſerit, ſed poſt lachrymas ea, quæ fleverat, repetit.

C. XII.

*Item* Auguſtinus *in libro ſoliloquiorum.*

INanis *d* eſt pœnitentia, quam ſequens culpa coinquinat. Vulnus iteratum ſanatur tardius: frequenter peccans & lugens vix veniam meretur. Nihil proſunt lamenta, ſi replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poſcere, & mala denuò iterare. Perſiſte ergo in confeſſione: eſto in pœnitentia fortiter confirmatus: vitam bonam, quam accepiſti, tenere non deſinas: propoſitum bonæ vitæ conſerva jugiter.

¶ *Caput hoc non eſt inventum apud B. Auguſtinum: habentur tamen apud Iſidorum (quem citat Magiſter) penè eadem in dialogo, ſive ſynonymis, non longe ante cap. de caſtitate.*

C. XIII.

*Item* Gregorius *in paſtorali, part. 3. admonitione 31.*

QVi *e* admiſſa plangunt, nec tamen deſerunt, conſiderare ſollicitè ſciant, quia flendo inaniter ſe mundant, qui vivendo ſe nequiter inquinant, cùm idcirco ſe lachrymis lavant, ut mundi ad ſordes redeant.

C. XIV.

Idem *ibidem.*

QVi *f* admiſſa *g* plangit, nec tamen deſerit, penè graviori culpæ ſe ſubjicit: quia *h* ipſam quam flendo impetrare potuit veniam, contemnit.

C. XV.

Idem *ibidem.*

LAvamini *i*, mundi eſtote.] Poſt lavacrum enim mundus eſſe negligit, quiſquis poſt lachrymas vitæ innocentiam non cuſtodit. Lavantur ergo, & nequaquam mundi ſunt, qui commiſſa flere non deſinunt, ſed rurſus flenda committunt.

C. XVI.

Idem *ibidem.*

BAptizatur quippe à mortuo, qui mundatur fletibus à peccato: ſed *k* poſt baptiſma mortuum tangit, qui culpam poſt lachrymas repetit.

C. XVII.

Idem *in moralibus lib. 1. c. ult.*

INcaſſum quippe bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur, quia & fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas veniat, deficit.

a *Matth. 16.* b *Sent. 4. diſt. 14.* c *Eſa. 1.* d *Sent. ibid.* e *Sent. ibid. Anſel. lib. 11. c. 142.* f *Sent. ibid. Beda in 2. Pet. 1.* g *admiſſam.] orig.* h *al. qui &.* i *Eſaı.* k *Eccl. 34.*

2 pars. *Sed verba diffinitionis non ad diverſa tempora, ſed ad idem tempus referuntur: videlicet, ut tempore, quo deflet mala, quæ a commiſit, non committat, quod adhuc eum flere oportet. Quod ex ſequentibus verbis ejuſdem auctoritatis datur intelligi, dum dicitur. [Nam qui ſic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut diſſimulat, aut ignorat.]*

C. XVIII.

*Hinc* Auguſtinus *in Enchiridio, cap. 70.*

SAne cavendum *b* eſt, ne quiſquam exiſtimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda, & eleemoſynis quotidie redimenda. In melius quippe eſt vita mutanda: & per eleemoſynas de peccatis præteritis eſt propitiandus Deus, non ad hoc emendus quodammodo, ut ea ſemper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi: quamvis miſerando deleat jam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur.

C. XIX.

Idem *ibid. c. 76.*

QVi vult *c* eleemoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primùm dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ: veriſſimeque dictum *d* eſt, [Miſerere animæ tuæ placens Deo.] Propter hoc renaſcimur ut Deo placeamus.

¶ *Antea caput hoc citabatur ex Ioanne Chryſoſtomo. Reſtitutum eſt ex B. Auguſtino: quem citant Magiſter, & Ivo, & concilium Toletanum IV. c. 9.*

C. XX.

Idem *ibidem, c. 71.*

DE quotidianis *e*, brevioribus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium ſatisfacit. Eorum eſt enim dicere: [Pater *f* noſter qui es in cœlis,] qui jam taliter *g* patri regenerati ſunt ex aqua & Spiritu Sancto. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium ſceleratè etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit, ſi quemadmodum veraciter dicitur, [dimitte nobis debita noſtra,] quoniam non deſunt, quæ dimittantur: ita veraciter dicatur: [ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris,] id eſt, ſi fiat, quod dicitur: quia & ipſa eleemoſyna eſt, veniam petenti homini ignoſcere.

C. XXI.

*Item* Pius Papa, *epiſt. 1.*

NIhil prodeſt *h* homini jejunare, & orare, & alia religionis bona agere, niſi mens ab iniquitate revocetur.

3 pars. *Ex perſona hujuſcemodi pœnitentis etiam illud Smaragdi intelligitur: [Ille pœnitentiam dignè agit, &c.] & illud Auguſtini: [Pœnitentes, &c.] illud Iſidori: [Irriſor eſt, & non pœnitens,] & illud Eſaiæ: [Lavamini & mundi eſtote.] Item & illud ſoliloquiorum: [Inanis eſt pœnitentia, &c.] Similiter & illud Gregorii: [Qui admiſſa plangunt.] &: [Baptizatur à mortuo.] Illud autem Ambroſii: [Reperiuntur, &c.] non ſecundum generalem, ſed ſecundum ſpecialem conſuetudinem eccleſiæ, de ſolemni pœnitentia dictum intelligitur, quæ apud quoſdam ſemel celebrata non iteratur.*

C. XXII.

*Unde* Auguſtinus *ſcribit ad Macedonium, epiſt. 54.*

QVamvis *i* cautè & ſalubriter proviſum ſit, ut locus illius *k* humillimæ pœnitentiæ ſemel in eccleſia concedatur, ne medicina vilis minus utilis eſſet ægrotis, quæ tantò magis ſalubris eſt, quantò minus

a *Sent. ib. ſup. ead. pœnitentiam.* b *Sent. ibid. Ivo p. 17. c.* c *Ivo p. 17. c. 129.* d *Exod. 30.* e *Sent. 4. diſt. 16. Ivo p. 17. c.* f *Matth. 6.* g *patri tali.] orig.* h *Infrà de conſecr. diſtinct. 5. nihil prodeſt. Sentent. 4. diſtinct. 14. & diſtinct. 15. Polyc. l. 3.* i *Sup. diſt. 50. quamvis. Sent. ibid. Ivo p. Sup. Sent. 4. diſt. 14.* k *al. illic. cap. 24.*

conte-

contemptibilis fuerit, quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui poſt primam pœnitentiam rurſus ſe laqueis iniquitatis obſtringit, adhuc iterum parcis?

4 pars. *Hac auctoritate & illud Ambroſii determinatur, & iterum peccatori per primam pœnitentiam venia dari monſtratur: alioquin nequaquam iterum parceret Deus, qui necdum pepercisſet: (Satisfactio* a *quoq; pœnitentiæ,) & [vade,* b *& amplius noli peccare,] eundem cum diffinitione intellectum habent. Illud autem, quod in lib.* c *de pœnitentia dicitur, de perfecta eſt intelligendum. Sicut enim charitas alia eſt incipiens, alia eſt proficiens, alia eſt perfecta: ſic & pœnitentia alia eſt incipientium, alia proficientium, alia perfectorum. Sicut autem charitati, licet nondum perfectæ, in baptiſmo datur venia peccatorum, ut quamvis poſtea graviter aliquis ſit peccaturus, tunc tamen intelligatur eſſe renatus, non aqua tantùm (ſicut Iovinianus tradidit;) ſed aqua & Spiritu (ſicut Hieronymus contra* d *eum ſcribit,) ſic & incipientium pœnitentiæ venia non negatur: quia quadam ratione, perfecta poteſt dici, quia toto corde gemit, & dolet: licet & alia ratione poteſt dici imperfecta; quia non uſq; in finem duratura. Secundùm primũ modum perfectionis intelligitur illud Ioannis os aurei [Perfecta* e *pœnitentia, &c.] Iuxta ſecundum modum perfectionis illud Auguſtini* f *intelligitur: [Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe.] Illud* g *autem [ſi pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur,] dupliciter intelligi poteſt. Si enim juxta quorundam ſententiam peccata dimiſſa redeunt, facile eſt intelligere nihil de venia relinqui: quoniam peccata, quæ prius erant dimiſſa, iterum replicantur. Sicut enim ille, qui ex juſta ſervitute in libertatem manumittitur, interim verè liber eſt, quamvis ob ingratitudinem in ſervitutem poſtea revocetur: ſic & pœnitenti peccata verè remittuntur, quamvis ob ingratitudinem veniæ iſdem poſtea ſit implicandus. Si autem peccata dimiſſa non redeunt, dicitur nihil relinqui de venia, quia nihil relinquitur ſibi de vita munditia, & ſpe æternæ beatitudinis, quam ideo venia aſſecutus eſt. Sicut enim argento perfectè purgato, nihil ſui decoris relinquitur, ſi ſequenti ærugine fœdatur, non tamen prima ſed ſequenti ſordidatur: ſic expiato per pœnitentiam nihil de venia dicitur relinqui, cùm tamen jam non deletis, ſed adhuc expiandis cœnquinetur.*

5 pars. *Quòd autem per pœnitentiam non ſemel tantùm, ſed ſæpiſſimè peccata remittantur, multorum auctoritate probatur.*

C. XXIII.

*Ait enim* Hieronymus *in epiſtola ad Ruſticum de pœnitentia.*

SEpties *h* cadit *i* juſtus, & reſurgit *k*,] Si cadit, quomodo juſtus? ſi juſtus, quomodo cadit? ſed juſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit. Et non *l* ſolùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties delinquenti ſi convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur. [Cui *m* plus dimittitur, plus diligit.]

*David quoq; per pœnitentiam, adulterii ſimul & homicidii veniam impetravit.*

C. XXIV.

*De cujus pœnitentia in eodem* n *libro* Hieronymus *ait.*

TOlam pœnitentiam peccatoris oſtendit pſalmus quinquageſimus, quando ingreſſus eſt *o* David ad Bethſabee uxorem Vriæ Ethæi, & à Nathan propheta correptus, reſpondit, dicens [Peccavi:] ſtatimque meruit audire: [& Dominus abs te abſtulit peccatum.] Adulterio enim junxerat homicidium; & tamen converſus ad lachrymas, [Miſerere *p*, ait, mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam: & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.] Magnum enim peccatum magna indigebat miſericordia. Vnde jungit, & dicit: [Multum lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego agnoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccavi. [Rex enim erat *a*, alium non timebat *b*.] Et malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas, cùm judicaris.] Concluſit enim *c* Deus omnia ſub peccato, ut omnibus miſereatur. Tantumque profecit, ut dudum peccator & pœnitens tranſierit in magiſtrum, & dicat [Docebo *d* iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.] Confeſſio enim, & pulchritudo coram eo: ut qui ſua confeſſus fuerit peccata, & dixerit: [Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ] fœditatem vulnerum in ſanitatis decorem commutet.

C. XXV.

*Item* Ambroſius *in apologia David, c. 2.*

ILle Rex tantus, ac potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam: ſed præmatura confeſſione, atque immenſo dolore reddidit peccatum ſuum Domino. *& ĩ.* ¶ Denique *e* Dominum dolor intimi movit affectus, ut Nathan diceret: [Quoniam pœnituit te, & Dominus tranſtulit peccatum tuum.] Maturitas itaque veniæ profundam Regis fuiſſe pœnitentiam declaravit, quæ tanti erroris offenſam tranſduxerit. *& ĩ.* ¶ Sancti qui conſummare pium certamen geſtiunt, & currere curſum ſalutis, ſicubi fortè ut homines corruunt *f*, naturæ magis fragilitate, quàm peccandi libidine; acriores ad currendum reſurgunt, pudoris ſtimulo majora reparantes certamina: ut non ſolùm nullum attuliſſe exiſtimetur lapſus impedimentum, ſed etiam velocitatis incentiva cumulaſſe. Ergo ſi currentium non ſolvitur curſus cùm aliqui fortè ceciderint, non luctantium contentio, ſed inoffenſa manent certamina: quin & plerique poſt unum aut alterum lapſum gratia majore vicerunt: quantò magis agonem pietatis ingreſſi non debent unius prolapſionis offenſione cenſeri; cùm beatus ſit, qui ſe potuerit reparare poſt lapſum? *& ĩ. cap. 4.* ¶ Quòd peccavit, conditionis eſt: quòd ſupplicavit, correptionis: lapſus communis, ſed ſpecialis confeſſio. Culpam itaque incidiſſe naturæ eſt, delèſſe *g*, virtutis. *& ĩ. c. 13.* ¶ Peccatum aut donatur, aut deletur, aut tegitur. Donatur per gratiam, deletur per ſanguinem crucis, tegitur per charitatem: ſimiliter & iniquitas, quæ æſtimatur habitudo mentis injuſtæ: licet Ioannes in epiſtola eum qui fecerit peccatum, & iniquitatem feciſſe dixerit, ſicut habemus ſcriptum [Omnis, *h* qui facit peccatum, & iniquitatem facit:] peccatum eſt iniquitas, quia in peccato ipſo iniquitas eſt. Tamen, ut nobis videtur, peccatum 1 eſt opus iniquitatis: iniquitas autem operatrix culpæ, aut delicti. Prius eſt ergo, ut ipſa iniquitas deleatur, excidatur radix & ſeminarium peccatorum: mala tollatur radix, ne malos fructus ferat: aboleatur erroris omnis affectus, univerſa iniquitatum genera tollantur. Itaque quemadmodum intrans in animam ſapientis diſciplina imprudentiam tollit, & ſcientia ignorantiam, ſic perfecta virtus iniquitatem, & remiſſio peccatorum delet omne peccatum.

1 ¶ Peccatum eſt] *In originali vulgare legitur,* omne peccatum eſt iniquitas: iniquitas autem operatrix culpæ, aut delicti. Plus eſt ergo, &c. *ſed melior viſa eſt Gratiani lectio.*

C. XXVI.

Item *in eod. lib. c. 7.*

ILlud *i* verò *k* quàm mirabile eſt, quòd Angelo ferienti plebem ſe obtulit David dicens: [Grex iſte, quid fecit? fiat manus tua in me, & in domum patris

a *Sup. ead. cap. ſatisfactio.* b *& c. ſi Apoſtolus.* c *Sup. ead. pœnitentia. Sent. 3. diſtinct. 29.* d *Sup. ead.* e *Sup. ea.* f *Sent. 4. diſt. 14.* g *Sup. ead. c. ſi Apoſtolus.* h *Prov. 24.* i *al. cadet.* k *al. reſurget.* l *Matth. 18.* m *Luc. 7.* n *In ead. epiſt. ad Ruſticum.* o *2. Reg. 12.* p *Pſal. 50.*

a *al. eram.*] b *al. timebam.*] c *Rom. 11.* d *Pſalm. 37.* e *2. Reg. 12.* f *al. corruerint.* g *al. diluiſſe.* h *1. Ioann. 3.* i *Sent. 4. diſt. 14.* k *Quàm verò illud etiam mirabile.*] *origg.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mei.] Quo facto ſtatim dignus ſacrificio judicatus eſt, qui abſolutione exiſtimabatur indignus. Nec mirum, ſi tali ſua oblatione pro populo, peccati ſui adeptus eſt veniam, cùm *a* Moyſes offerendo ſe Domino pro plebis errore, etiam plebis peccata deleverit? Texit igitur peccata ſua, an non? Sed quis hoc neget, cùm hic ipſe docuerit *b* Propheta, quod remittantur iniquitates, tegantur peccata, non imputentur à Domino? Peccatum remiſſum ſibi eſſe docuit, ſicut ſcriptum eſt: [Delictum *c* meum cognoſco, & injuſtitiam meam non operui. Dixi, pronuntiabo adverſum me juſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.] dixit: (pronuntiabo) & veniam meruit antequam pronuntiaret: quantò magis, ubi de ſe pronuntiavit, dicens: (iniquitatem meam ego agnoſco). remiſſum eſt ei omne peccatum? licet ſpecialiter de hoc & *d* Nathan Propheta reſpondit (& Dominus tranſtulit peccatum tuum.) Ergo remiſſionem meruit iniquitatis; & texit charitate, atque operuit peccata ſua, & texit operibus bonis, nec imputandum eſt ei peccatum, quia non fuit in eo dolus malitiæ, ſed lapſus erroris: deinde *e*, quia non fuit improbitatis æſtus, ſed umbra myſterii: & tamen confeſſus eſt delictum ſuum, agnovit iniquitatem, vidit lavacrum, & vidit, & credidit: dilexit multum, ut nimia charitate tegere quemvis poſſet errorem.

6 pars. *Ecce cujus pœnitentia hîc commendatur, cui etiam venia per Prophetam data monſtratur, quam graviter poſtea deliquerit, populi multitudo proſtrata oſtendit. Achab quoq; (ut Hieronymus contra* f *Iovinianum ſcribit) Rex impiiſſimus, ut ſententiam Dei ſubterfugeret, & everſio domus ejus differretur in poſteros, jejunio impetravit, & ſacco.*

C. XXVII.

*De quo ad eundem Ruſticum* g *ſcribit idem Hieronymus, dicens.*

ACHab *h* Rex impiiſſimus vineam Nabuthæ cruore poſſedit, & cùm Iezabel non tam conjugio ſibi, quàm crudelitate conjuncta, Heliæ increpatione corripitur: hæc dicit Dominus: [Occidiſti & poſſediſti] & iterum: [In loco, in quo linxerunt canes ſanguinem Nabuthæ, ibi lingent ſanguinem tuum. Et Iezabel canes comedent ante muros Iezrahel. Quod cùm audiſſet Achab, ſcidit veſtimenta ſua, & poſuit ſaccum ſuper carnem ſuam, jejunavitque & dormivit in cilicio. Factusq; eſt ſermo Domini ad Heliam, dicens: quoniam reveritus eſt Achab faciem meam, non inducam malum in diebus ejus.] Vnum ſcelus Achab & Iezabel: tamen converſo *i* ad pœnitentiam Achab, pœna differtur in poſteros: & Iezabel in ſcelere perſeverans, præſenti judicio condemnatur.

C. XXVIII.

*Item Ioannes Chryſoſtomus de reparatione lapſi, (epiſt.5. ad Theodorum lapſum.)*

TAlis, *k* mihi crede, talis eſt erga homines pietas Dei, nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncerè & ſimpliciter offeratur. Etiam ſi ad ſummum quis perveniat malorum, & inde tamen velit reverti ad virtutis viam, ſuſcipit, & libenter amplectitur: facit omnia, quatenus ad priorem revocet ſtatum: & quod eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiamſi non potuerit quis explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen, & quamlibet brevi tempore geſtam non reſpuit pœnitentiam: ſuſcipit etiam ipſam, nec patitur quamvis exiguæ converſionis perdere mercedem. Hoc enim mihi indicat Eſaias, *l* ubi de populo Iudæorum talia quædam dicit: (propter peccatum modicè conturbavi eum, & percuſſi eum, & averti faciem meam ab eo: contriſtatus eſt, & ambulavit triſtis: & ſanavi eum, & conſolatus ſum eum.) Evidentius autem nobis teſtimonium dabit etiam Rex ille impius, qui cupiditatis ſuæ quidem prædam uxoris nequitia quæſivit: ſed perturbatus ipſius ſceleris immanitate pœnituit, & cilicio circumdatus, facinus ſuum flevit, atque ita erga ſe Domini miſericordiam provocavit, ut à cunctis eum abſolveret peccatis. Sic enim ait Deus ad Heliam *a*: [*Vidiſti, quomodo punctus eſt Achab à facie mea? quia flevit in conſpectu meo, non inducam mala in diebus ejus.*]

¶ *Verſio hæc, licet nonnihil diſcrepet ab ea, quæ inter Latina Ioannis Chryſoſtomi opera circumfertur, non tamen longè diſcedit à verbis Græcis. Extat enim hoc opuſculum manuſcriptum in bibliotheca Vaticana.*

C. XXIX.

*Item* Gregorius *in homilia decima ſuper Ezechielem, in extremo.*

SIcut *b* Achab Rex iniquus à Propheta reprehenſus, cùm contra ſe divinam ſententiam audiſſet, pertimuit, & magno mœrore deprehenſus eſt: ita ut Prophetæ ſuo Dominus diceret: *c* [Nónne vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur mei cauſa humiliatus eſt, non inducam malum in diebus ejus.] In quibus Domini verbis penſandum eſt, quomodo ei in electis ſuis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum; ſi ſic et reprobi pœnitentia placuit, qui timebat perdere præſens ſæculum: aut quomodo ei grata ſit ſpontanea afflictio, pro culpis in eis, qui placent, ſi hæc ad tempus placuit, & in eis, qui diſplicebant.

*Ninivitæ* d *quoq;, quos Dominus in Evangelio commendat, pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ex miſericordia Domini indulgentiam conſecuti, ſubverſionis interitum ſubterfugere meruerunt. Sed qualiter poſt acceptam veniam Achab vixerit, textus libri Regum declarat: de quo etiam ſcribit* e *Ambroſius, quòd Iezabel uxor ejus, cujus inflammabatur arbitrio, in ejus convertit, & nimiis ſacrilegiis execrabilem fecit, & hunc pœnitentia ejus revocavit affectum.*

C. XXX.

*De Ninivitis autem in proœmio Ionæ ſcribit* Hieronymus.

SIcut ait Herodotus, Ninive à Rege Medorum ſubverſa eſt, regnante *f* apud Hebræos Ioſia. Vnde patet illam prædicante Iona ex pœnitentia meruiſſe veniam: ſed quia poſtea ad vomitum rediit, ex ira Dei ſubverſam fuiſſe.

C. XXXI.

Item *in* g *prologo Naum.*

NAum Prophetam ante adventum Regis Aſſyriorum, qui populum Iſrael captivum in ſuam regionem tranſtulerat, fuiſſe, Hebræorum traditio confirmat. Si quidem in fine hujus lectionis prædicti Regis adventum idem Propheta annuntiare monſtratur. Sed cùm habitatores Ninivæ, Iona interitum civitatis prædicante, ne divina ira denuntiatum interitum ſuſtinerent, peccatorum, & impietatis pœnitentiam egiſſent, accepta Dei miſericordia gravioribus ſe criminibus implicuerunt. Qua de cauſa memoratus Propheta Spiritu Sancto plenus judicium Dei annuntians, ita eſt locutus. [Deus *h* zelans, & ulciſcens Dominus eſt.]

7 pars. *Item, quòd frequenter venia pœnitenti præſtetur, teſtatur Auguſtinus in libro* i *de pœnitentia, ſcribens contra quoſdam hæreticos, qui peccantibus poſt baptiſmum ſemel tantum dicebant utilem eſſe pœnitentiam.*

C. XXXII.

ADhuc inſtant perfidi, qui ſapiunt plus, quàm oportet, non ſobrii, ſed excedentes menſuram. Dicunt

a *Exod.32.* b *Pſal.31.* c *Pſal.50.* d *2.Reg.12.* e *al. deniq; non fuit.* f *Lib.2.* g *Epiſt.ad Ruſticum.* h *3.Regum 21.* i *converſus.*] *orig. al. converſi.*] *nam.* k *Senten.4. diſt.14.* l *Eſa.57. apud 70.*

a *3. Reg. 21.* b *Sic.*] *orig. & exempp.* c *3. Reg.* d *Ionæ 3.* e *Lib. de Nabuthe Hiezraelita, c. ult.* f *Senſus* ... *verba.* g *Inter opera B. Hieronymi.* h *Naum 1.* i ... *lib. de vera & falſa pœnitentia, c.5. Sent.4. diſt.14.*

enim

enim, etſi *a* ſemel peccantibus poſt baptiſmum valeat pœnitentia, non tamen ſæpe peccantibus proderit iterata: alioqui remiſſio, ad peccatum eſſet incitatio. Dicunt enim, quis non ſemper peccaret, ſi redire ſemper poſſet? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper pœnitentibus ſubveniret, & etiam ei placere peccata, quibus ſemper præſtò eſt gratia. Errant autem: imò conſtat ei multum peccata diſplicere, qui ſemper præſtò eſt ea deſtruere. Si enim ea amaret, non ita ſemper deſtrueret, ſed conſervaret, atque, ut ſua munera, foveret. Semper deſtruit peccata, quæ invenit, ne ſolvatur quod creavit, ne corrumpatur quod amavit. Sumunt occaſionem hypocritæ iſti ex factis Domini. Quem enim cæcum *b* bis illuminavit? quem leproſum bis mundavit? quem mortuum bis ſuſcitavit? non Lazarum, quem *c* dilexit; non filium viduæ *d* quem miſertus matri reddidit, non filium diſſipatorem legitur bis ſuſcepiſſe, non filiam Abrahæ bis à dæmonio liberaſſe. In nulla perſona iteravit factum, docens, ut ajunt, non ſæpe à Domino fieri remedium. Dixit *e* mulieri: [Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat;] promittens pœnam, non amplius veniam. ¶ Quod *f* autem multos cæcos & diverſo tempore illuminaverit, & multos debiles confortaverit, oſtendit in diverſis illis eadem ſæpe peccata dimitti, ut quem prius ſanavit leproſum, alio tempore illuminet *g* cæcum. Ideo etiam tot ſanavit *h* febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne deſperet de ſe peccator: ideò non ſcribitur aliquis niſi ſemel ſanatus, ut quiſque timeat mergi *i* peccato. Videmus adhuc quotidie in eccleſia ſæpe febricitantes, ſæpe languidos, ſæpe paſſionibus captos, ſæpe liberari: ut appareat toties opus miſerantis, quoties confeſſio fit pœnitentis. Quomodo enim corpus, quod vilius eſt, & ab ipſo diſſimilius, ſæpe ſanaret, & animam digniorem, & redemptam non toties liberaret? Medicum *k* ſe vocat, & non ſanis, ſed malè habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum neſciret curare? Medicorum enim eſt centies infirmum viſitare, centies curare. Qui cæteris minor eſſet, ſi aliis poſſibilia ignoraret, memor eſt ſui, qui dicit: [Nolo *l* mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat.] Quem enim peccatorem excluſit *m*? Et quòd omnibus promiſit indulgentiam, aliis quoque promiſſionibus declarat. [Qui *n* me confeſſus fuerit coram hominibus] id eſt, omnis, quantumcunque, & quotieſcunque peccator, cujuſcunque ordinis, etiamſi fuerit ſacerdos [confitebor & ego eum coram patre meo.] Nam [qui *o* invocaverit nomen Domini,] id eſt, ſecundùm quod nominatur Dominus, id eſt, qui invocaverit eum ad ſe, ſerviendo, non contradicendo, ut forſitan ſæpe fecit, [omnis] id eſt, quicunque ſit ille peccator [ſalvus erit.] Omnem enim animam iſte promiſſor ſaturavit bonis, etiam *p* ſedentem *q* in tenebris, & umbra mortis, nullam excipiens animam. Hunc magiſtrum intellexerat diſcipulus ille, qui Corinthios *r* per epiſtolas ſuas voluit corrigere, & ut ipſe teſtatur, ter in literis ſuis eos currexit. Oportebat enim ut quoties videret eos cadere, toties juvaret eos reſurgere. Memor enim erat illius, qui dixerat [quorum *ſ* remiſeritis peccata, remittuntur eis.] Scimus autem & primos patres, & in omni tempore eccleſiam Dei ſemper, uſque ſeptuagies ſepties, (quod eſt ſemper) peccata remittere. Quam poteſtatem iſti ab eccleſia Dei conantur auferre. Oportet enim ſic eccleſiam credere, quæ confitetur ſe ſæpe peccare. Negant enim veritatem ſeducti 1, qui *a* ſe abſque peccato audent jactare. In *b* multis enim offendimus omnes: nec infans unius diei abſque peccato ſuper terram eſſe poteſt. Quapropter eliminandus eſt ab eccleſia iſte error, qui unquam pœnitentibus negat indulgentiam. Non enim inquiris, quid Apoſtolus *c* ſenſerit, qui dixit [nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.] Sciens enim & juſtis peccata ſolere contingere; non ſe confirmabat abſque peccato, qui ſe novit indiſſolubili vinculo charitatis Chriſto conjunctum. Niſi enim ſciret ſæpe juſtos ad veniam venire, quomodo dubitaret ſe peccare, qui ſe ſciebat Spiritum Dei habere, & intentione mundiſſima ei ſervire? Cur *d* enim Dominus Petri pedes laviſſet, & eccleſiam hoc idem docuiſſet, niſi quia (quoniam *e* quotidiana eſt offenſio) oportet, ut quotidiana ſit remiſſio? Cur docuiſſet *f* orantes dicere [dimitte nobis debita noſtra] niſi ipſe miſericors perſeveraret, qui nos ab hac petitione non vult deficere?

1 ¶ Seducti] *In originali eſt*, in ſe eſſe. *& videtur indicari locus in epiſt. Ioan. 1. c. 1. ſed ob gloſſam non eſt mutatum.*

C. XXXIII.

*Item* Auguſtinus *ad Macedonium, epiſt. 54.*

IN tantum *g* hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam, poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia, vel graviora committant. Et tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum: nec minus tribuit, quàm antea tribuerat largiſſima munera vitæ & ſalutis: & quamvis eis in eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos pœnitentiæ ſuæ non obliviſcitur. Ex quorum numero ſi quis nobis dicat: [Aut date mihi eundem iterum pœnitendi locum, aut deſperatum me permittite, ut faciam quidquid libuerit, quantum meis opibus adjuvor, & humanis legibus non prohibeor in ſcortis, omnique luxuria, damnabili quidem apud Dominum, ſed apud homines pleroſque etiam laudabili: aut, ſi me ab hac nequitia revocatis, dicite, utrum mihi aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta contempſero, ſi libidinum incitamenta frænavero, ſi ad caſtigandum corpus meum multa mihi etiam licita & conceſſa ſubtraxero, ſi me pœnitendo vehementius, quam prius excruciavero *h*, ſi miſerabilius ingemuero, ſi flevero uberius, ſi vixero melius, ſi pauperes ſuſtentavero largius, ſi charitate, quæ operit multitudinem peccatorum, flagravero ardentius, quis noſtrûm ita deſipit ut huic homini dicat; nihil tibi iſta proderunt in poſterum: vade, ſaltem vitæ hujus ſuavitate perfruere? Avertat Deus tam immanem ſacrilegii *i* dementiam 1.

¶ *Locupletatum eſt duobus locis caput hoc ex originali.*

1 ¶ Dementiam] *Apud B. Auguſtinum ſequitur, cap. quamvis. ſupr. ead. diſt.*

8 pars. *Sive autem quis dicat primam tantùm pœnitentiam poſt baptiſmum utilem eſſe, non ſequentem, ſive contendat quis, ultima tantùm veniam dari, non præcedenti, ſemper tamen auctoritati adverſatur, quæ ſæpiſſimè veniam pœnitenti repromittit. Quæ autem ſit vera pœnitentia, cui venia nunquam negatur, & quæ ſit falſa, cui nunquam indulgentia promittitur,* Adamantius & Iſychius, *ſuper Leviticum* k *teſtantur.*

C. XXXIV.

1. INter hæc hircum, qui oblatus fuerat, exuſtum, &c.] Non peccare, ſolius Dei eſt: emendare, ſapientis. Sed rarò invenias, qui ſe corrigat. Rara confeſſio peccati, rara pœnitentia. Repugnat natura & verecundia, quia obnoxia eſt culpæ omnis caro, & quiſque erubeſcit peccatum confiteri, dum magis præſentia cogitat,

a *uſq.*] *orig.* b *Ioan. 9.* c *quem prius dilexit.*] *origin.* d *Luc. 7. & 15. Matt. 15.* e *Ioan. 8.* f *Quis.*] *orig.* g *illuminavit.*] *orig.* h *ſalvavit.*] *orig.* i *iurgi.*] *orig.* k *Mar. 2.* l *Ezech. 33.* m *al. excludit.* n *Matt. 10.* o *Ioelis. 2.* p *Pſal. 106. Luc. 1.* q *Sedentes.*] *orig.* r *1. Cor. 13.* ſ *Ioan. 20.*

a *Iac. 5.* b *Iob. 14. ex 70.* c *1. Cor. 4.* d *Ioan. 13.* e *abeſt ab orig.* f *Matth. 6.* g *Sent. 4. diſt. 14.* h *al. excitavero.* i *al. ſacrilegamq́.* k *Gloſſ. ord. in c. 10. Levitici. Simile in catena in Leviticum, ex ſcriptoribus Græcis, præcipuè Origene.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

quàm futura. Vult Moyſes peccati vacuam reperire animam, ut exuvias erroris deponat, & culpæ nuda fine ſui pudore diſcedat. Sed irrationabilis impetus prævenit, & flamma celerrimi motus animam depaſcitur, & excutit ejus innocentiam. Præponderant enim futuris præſentia, ſeriis jucunda, & læta triſtibus, & præpropera tardioribus. Velox enim iniquitas, quæ ad nocendum occaſionem ſuggerit: lenta virtus, & cunctatrix antè judicat, quàm incipit, quid decorum, quid honeſtum: iniquitas omnia præcipitat. Pigra verò, & verecunda pœnitentia, quæ *a* præſentium pudore premitur *b*. Solis enim intendit futuris, quorum ſpes ſera, & tardus fructus. Interim præcurrit impudentia, & ſpe præſentium pœnitentia excluditur, & affectus *c* ejus exuritur, & aboletur. Quærit eam lux, & non invenit, exuſta eſt enim fervore, & fumo iniquitatis. Inde iraſcitur, & dicit devorandam fuiſſe pœnitentiam in ſancta *d* ſanctorum: ſacerdotes, quaſi ſegnes increpat. Reſpondet Aaron providum debere eſſe ſacerdotale judicium, nec malè *e* ſanæ conſcientiæ facile eſſe credendum id muneris, ne fiat noviſſimus error pejor priore. Vaſe enim fœtido vel oleum, vel vinum facilè corrumpitur. Quomodo autem poterat, ubi ignis alienus erat, peccatum exuri in conſpectu Domini, cui cuncta aperta ſunt? quaſi dicat: non placet Deo, qui injuſtitiam corde incluſam tenet, & ſe pœnitentiam agere perhibet. Ignis alienus libido, avaritia, & omnis prava cupiditas. Hic ignis exurit, non mundat. In quibus enim eſt, ſi offerunt in conſpectu Domini, ignis eos cœleſtis abſumit, ſicut Nadab, *f* & Abiu cum his, quæ pro peccato fuerant oblata. Qui ergo mundari vult, ignem alienum removeat, & illi igni ſe offerat, qui culpam exurit non hominem. Hic *g* ignis ſiccavit hæmorrhoiſſæ ſanguinem profluentem: hic *h* ſiccavit culpam latronis: Ignis *i* enim conſumens eſt: ſanat enim ſimpliciter & purè confitentes. Iudas inquit: *k* [Peccavi, tradens ſanguinem juſtum.] ſed in pectore habuit ignem alienum, quo inflammante cucurrit ad laqueum. Indignus autem remedio fuit, quia non pura mente pœnituit. Culpam verò ejus non auferunt ſacerdotes, qui doloſè offert *l*, nec in eo poſſunt epulari, quorum cibus eſt peccatorum remiſſio. Vnde verus ſacerdos ait: [meus *m* cibus eſt ut faciam voluntatem patris, id eſt, ut peccatores converſi & pœnitentes ſalventur. Non eſt enim acceptum Deo ſacrificium, niſi verum, & ſyncerum.

¶ *In hoc & ſequenti capite afferuntur verba ipſa gloſſæ ordinariæ: quamvis multa ſint accepta ex Origene, Adamantio, & Iſychio.*

## C. XXXV.

*Item* Iſychius *lib. 2. ad c. 10. Levitici.*

II. INter *n* hæc, hircum, qui oblatus fuerat, & cætera.] Quia omne peccatum per pœnitentiam deletur, & qui prædictum peccatum alterius doctrinæ, & blaſphemiæ commiſerunt, ſalvati non ſunt: cauſam mortis eorum Legislator *o* exponit: [Inter hæc hircum qui oblatus fuerat, &c.] Quia ſcilicet non comederunt filii Aaron, quod pro peccato erat in loco ſancto, id eſt, pœnitentiam commiſſi peccati in eccleſia peragi non fecerunt: quibus hoc præceptum eſt, quos Chriſtus in eccleſia vicarios ſuos conſtituit. Ipſe enim oblationis ſuæ ſanguinem, quæ pro noſtro ſanguine oblata eſt, in ſanctum, id eſt, in cœlum, in conſpectu patris obtulit. Debet autem comedi hoc ſacrificium in loco ſancto, ſcilicet in eccleſia, in propitiationem peccatorum. Vnde addit [quemadmodum præceptum eſt mihi,] id eſt, quemadmodum præcepi & mandavi. Moyſes enim gerit perſonam Chriſti. Exuſtum reperit: quia in Spiritum Sanctum peccaverant: ab intelligibili igne Spiritus Sancti oblatio pro pœnitentia ablata eſt. Voluntariè enim peccantibus non relinquitur hoſtia pro peccato. Nam ſicut vera pœnitentia veniam promeretur, ita *a* ſimulata Deum irritat: quia Spiritus Sanctus diſciplinæ effugiet fictum. Hoc autem ſancti Patres irremiſſibile *b* peccatum, & blaſphemiam in Spiritum Sanctum dixerunt, in *c* ſceleribus uſque ad finem vitæ perſeverare, de ſalute ſui deſperare, & de potentia, & miſericordia redemptoris diffidere.

## C. XXXVI.

*Item* Ioannes os aureum *homilia 31. in c. 11. epiſtola ad Hebræos.*

IVdas *d* pœnituit, ſed malè: laqueo namque ſe ſuſpendit: pœnituit etiam *e* Eſau, ſed malè: magis autem iſte neque pœnituit. Lachrymæ quippe illæ non erant pœnitentiæ, ſed animi 1 violenti, & indignationis internæ. Quod ex ejus operibus aperitur. *&* ȷ̃. ¶ Non igitur negemus, obſecro, peccata noſtra: neque nos impudentia duros efficiat. Sponte noſtra peccata puniamus, ne pendamus, non ſponte, ſupplicia. Audivit Cain à Deo: [Vbi eſt Abel *f* frater tuus? & dixit: [neſcio, nunquid nam cuſtos fratris mei ſum ego?] Vides, quomodo ex hoc peccatum reddiderit gravius? Verùm non ita pater ejus audiens: [Adam *g*, ubi es?] dixit: [Audivi vocem tuam Domine, & timui, quoniam nudus ſum, & abſcondi me.] Magnum bonum eſt, ut quis peccata ſua agnoſcat, & memoriam eorum perſeveranter retineat. Nullum invenitur delictorum tale remedium, ſicut eorum contaminata memoria.

1 ¶ Animi violenti] *Græcè eſt,* ἀλλὰ ἐπηρείας, καὶ θυμοῦ μᾶλλον, καὶ δείκνυσι τὰ ἑξῆς. *id eſt,* Sed potius contumelioſi impetus & iracundiæ; idque oſtendunt, quæ ſecuta ſunt. *Vetuſtus codex habet,* πικρίας, καὶ θυμοῦ; *quæ duæ voces conjunguntur etiam à B. Paulo in epiſtola ad Epheſios, cap. 4. Sunt autem nonnulla in hoc capite partim ex manuſcriptis Gratiani codicibus, partim ex ipſo originali emendata.*

## C. XXXVII.

*Item* Ambroſius *in lib. 2. de pœnitentia, cap. 11.*

IN *h* ſalicibus, inquit, in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra. Quomodo *i* cantabimus canticum Domini in terra aliena?] Si enim caro menti repugnat, nec ſubdita eſt animi gubernaculo & mentis imperio, aliena eſt terra, quæ non domatur exercitio cultoris, & ideò non poteſt fructus charitatis pœnitentiam 1 f[...] cis afferre. Melius eſt ergo tunc quieſcere, cùm exercere non queas opera pœnitentiæ, ne in ipſa pœnitentia fiat, quod poſtea indigeat pœnitentia. Quæ ſi ſemel fuerit uſurpata, nec jure celebrata, nec prioris fructum obtinet, & aufert uſum poſterioris. Sanè & cùm caro repugnat, mens ad Dominum debet eſſe intenta: & ſi in opera non ſequuntur, fides non deſeratur 2: & ſi impugnant vel carnis illecebræ, vel poteſtates adverſariæ, maneat mens Deo dedita. Tunc enim maximè [...] urgemur, cùm caro cedit, & ſunt, qui vehementer incumbant miſeræ animæ, quærentes omne auferre præſidium. Vnde illud *k* eſt: [Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.] Quam miſeratus David ait: [filia Babylonis miſera] miſera utique, quia Babylonis filia eſt: quæ Dei filia eſſe deſivit, cui tamen medicum invitat, dicens: [beatus, qui tenebit & allidet parvulos ſuos ad petram.] hoc eſt, qui infirmas & lubricas cogitationes allidat ad Chriſtum, qui omnes irrationabiles motus ſui reverentia & diſceptatione *l* comminuat.

a *al. quia.* b *al. punitur.* c *al. effectus.* d *al. ſanctis ſanctorum.* e *al. male ſana.*] *vera lectio.* f *Lev. ib.* g *Mar. 5.* h *Luc. 23.* i *Deut. 4.* k *Matth. 27.* l *al. ſe offert.*] *al. offerunt.* m *Ioan. 4.* n *Ibi gloſſ. ordin.* o *Levit. 10.*

a *Sup. 1.* b *Hebr. 10.* c *al. & in.* d *Matth.* [...] e *Geneſ. 27.* f *Geneſ. 4.* g *Gen. 3.* h *Nonnullis* [...] *bis omiſſis.* i *Pſalm. 136.* k *Ibidem.* l *al. diſcretione.* 1 ¶ Pœni[...]

1 ¶ Pœnitentiam pacis] *In multis vetuſtis legitur*, pœnitentiæ, & pacis. *in originali antè impreſſo*, patientiam pacis.

2 ¶ Fides non deſeratur] *In aliquot manuſcriptis eſt*, fides non deſerat: *in vetuſtioribus B. Ambroſii operum editionibus*: fides deſideret: *in recentiore Pariſienſi*, fides deſerviat.

3 ¶ Vrgemur] *In nonnullis vetuſtis legitur*, urgetur, cùm caro non credit.

C. XXXVIII.

Item Hieronymus *ſuper Matthæum ad c. 27.*

NIhil *a* Iudæ profuit egiſſe 1 pœnitentiam, per quam ſcelus corrigere non potuit. Si *b* quando frater ſic peccat in fratrem, ut emendare valeat, quod peccavit, poteſt ei dimitti: ſin autem permanent opera, fruſtra voce aſſumitur pœnitentia. Hoc eſt, quod in Pſalmo *c* de eodem infeliciſſimo Iuda dicitur: (& oratio ejus fiat in peccatum:) ut non ſolùm emendare nequiverit proditionis nefas, ſed proprii homicidii ſcelus addiderit.

1 ¶ Egiſſe pœnitentiam] *Sic in gloſſa, ex qua videtur ſumptum caput hoc: ſed apud B. Hieronymum & Magiſtrum*, ſera pœnitentia: *apud eundem verò Magiſtrum, paulò poſt, legitur depravati*, emendare non valeat.

C. XXXIX.

Item Leo Papa *in* d *ſermone, qui incipit, (Inter omnia,) id eſt, tertio de paſſione Domini.*

SCeleratior omnibus ô Iuda, & infelicior extitiſtì; quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi ſuſpendium diſtuliſſes.

9 pars. *His auctoritatibus, quæ ſit vera, quæ falſa oſtenditur pœnitentia, & falſa nulla indulgentia dari probatur: in quo illorum ſententia deſtruitur, qua eum, qui pluribus irretitus fuerit peccatis, aſſeritur unius delicti pœnitentia, ejuſdem veniam conſequi à Domino ſine alterius pœnitentia. Quod etiam multis auctoritatibus probare conantur. Quarum prima eſt illa Naum* e *Prophetæ: (non judicabit* f *Deus bis in idipſum.) Sed quem ſacerdos judicat, Deus judicat, cujus perſonam in eccleſia gerit. Qui ergo à ſacerdote ſemel pro peccato punitur, non iterum pro eodem peccato à Domino judicabitur.*

C. XL.

Item Gregorius *ſuper Ezechielem, hom. 10.*

PLuit *g* Dominus ſuper unam civitatem, & ſuper alteram non pluit: & eandem civitatem ex parte compluit, & ex parte aridam relinquit. Cùm ille, qui proximum odit, ab aliis vitiis ſe corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia ſunt, qui cùm quædam vitia reſecant, in aliis graviter perdurant.

¶ *Similis ſumma verborum B. Gregorii eſt in gloſſa ordinaria ad c. 4. Amos, non tamen eadem omninò.*

C. XLI.

Item Ambroſius *in 18. octonario* h *Pſalm. 118.*

PRima conſolatio *i* eſt, quia non obliviſcitur miſereri Deus: ſecunda per punitionem 1, ubi, etſi fides 2 deſit, pœna ſatisfacit, & relevat.

1 ¶ Punitionem] *Antea legebatur*, compunctionem. *Emendatum eſt ex gloſſa ordinaria, (cujus caput hoc eſt ſumma quædam:) & magis convenit cum ſententia B. Ambroſii: cujus tamen locum integrum præſtat accuratè legere.*

a Gloſſ. ordin. & Beda ad eundem locum. Senten. 4. diſtin. 35. b al. Sed. c Pſalm. 108. d Gloſſ. ord. ad cap. 27. ad Matthæum. e Naum 1. ex 70. f al. vindicabit. g Sententiarum 4. diſtinct. 15. Amos 4. h Sermone 18. i Gloſſ. ord. ibi, Ladich.

2 ¶ Fides] *In gloſſa additur*, id eſt, conſcientia debiti. *& ſic declarat Gratianus infrà c. quærat.*

*Item opponitur de Hieronymo* a, *qui ſuper Naum ſentire videtur, quòd ſi fidelis* 1 *adulterando interficeretur, de adulterio non amplius à Deo puniretur. Item, ſi illa ſatisfactio non fuit, quam in adulterio vivens pro homicidio obtulit, cùm adulterii eum pœnituerit, utriuſque ei pœnitentia imponenda erit: quod à ratione alienum eccleſiaſtica probatur conſuetudine, quæ pro* b *eodem peccato (niſi reiteratum fuerit) nulli bis pœnitentiam imponit. ¶ Sed quòd ei, qui crimen ſibi reſervat, de alio venia non præſtetur, non ſolùm præmiſſis probatur auctoritatibus Heſychii, Adamantii, Gregorii, Auguſtini, Smaragdi, Iſidori: verùm etiam alia auctoritate ejuſdem* Auguſtini *in libro de* c *pœnitentia.*

1 ¶ Fidelis] *Sic eſt emendatum ex aliquot vetuſtis, B. Hieronymo, & Magiſtro. Nam antea legebatur*, infidelis, *quemadmodum etiam infrà ead. c. quærat. & c. ignis.*

C. XLII.

*Ait enim.*

SVnt plures, quos pœnitet peccaſſe, ſed non omninò, reſervantes ſibi quædam, in quibus delectantur: non animadvertentes Dominum ſimul *d* ſurdum & mutum à dæmonio liberaſſe: per hoc docens nos, nunquam niſi de omnibus ſanari. Si enim vellet ex parte peccata reſervari, habenti ſeptem dæmonia, manente uno, proficere potuerat ſex expulſis. Expulit autem ſeptem, ut omnia crimina ſimul ejicienda doceret. Legionem *e* autem ab alio ejiciens, neminem reliquit ex omnibus, qui liberatum poſſideret: oſtendens, quòd etiamſi peccata ſint mille, oportet de omnibus pœnitere. Laudatus eſt enim Dominus, quando ejecto *f* dæmonio locutus eſt mutus. Nunquam aliquem ſanavit, quem omninò non liberavit. Totum enim hominem ſanavit in ſabbatho: quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit, indicans pœnitentem oportere ſimul dolere de omni crimine orto in anima & corpore. Scio enim Deum inimicum omni criminoſo. Quomodo ergo, qui crimen reſervat, de alio recipiet veniam? Sine amore Dei conſequeretur veniam *g*, ſine quo nemo unquam invenit gratiam. Hoſtis enim Dei eſt, dum offendit perſeveranter. Quædam enim impietas infidelitatis eſt, ab illo, qui juſtus, & juſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. Iam enim foret ſi ſine pœnitentia inveniret gratiam. Pœnitentia enim vera ad baptiſmi puritatem confitentem conatur adducere. Rectè enim pœnitens, quidquid ſordium poſt purificationem contraxit, oportet ut abluat, ſaltem lachrymis mentis. Sed ſatis durus eſt, cujus mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare: ſed ſciat culpabiliter ſe durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati lachrymis non oſtendit. Non itaque eſt, ut quis excuſet ſe non habere fontem lachrymarum, qui nonnunquam lachrymis oſtendit dolorem temporalium. Quem ergo pœnitet, omninò pœniteat, &c.]

10 pars. *Auctoritas illa Naum Prophetæ: (non* h *judicabit Deus bis, &c.) non indiſtinctè oſtendit omnia, quæ temporaliter puniuntur, non ulterius à Deo punienda. Quamvis enim Sodomitas, Ægyptios, Iſraëlitas in eremo ſuper eundem locum dicat Hieronymus temporaliter à Deo punitos, ne in æternum punirentur, non tamen de omnibus generaliter hoc intelligendum eſt: alioqui cuique ſceleroſo optandum eſſet, ut cœleſti fulmine percuſſus, aut aquis ſubmerſus, aut à ſerpentibus vulneratus pro peccatis ſuis divinitus interiret, ut æternos cruciatus brevis*

a Sent. 4. diſtinct. 15. b Infrà ead. c. quærat aliquis, & c. ignis. ſupr. 23. quæſt. 5. quid ergo. c In lib. de vera & falſa pœnitentia, cap. 9. Sent. 4. diſt. 15. d Matth. 12. e Marc. 5. f Matth. 9. g al. indulgentiam. h ſupr. diſt. 1. de pœn. cap. quem ergo. Sent. 4. diſt. 15. ſupr. ſceleratior.

*& momentanea pœna terminaret. Illud etiam Apoſtoli falſum eſſet, quod de proſtratis in deſerto in epiſtola ad Hebræos* a *ſcribens ait : [propter incredulitatem ſuam non intraverunt in terram promiſſionis.] Ubi probatur, quòd ſicut merito ſuæ infidelitatis requiem illam amiſerunt, ita propter eandem infidelitatem, veram requiem æternæ beatitudinis nullo modo intraverunt. Intelligitur ergo illud Hieronymi de his tantùm, qui inter ipſa flagella pœnitentiam egerunt : quam, ſi brevem, & momentaneam, tamen non reſpuit Deus : ſicut & illud* b *Prophetæ [non judicabit* c *Deus bis in idipſum] de his tantùm intelligi oportet, quos præſentia ſupplicia in melius commutant : ſuper quos non conſurget duplex tribulatio. Qui autem inter flagella duriores* d *& deteriores fiunt, ſicut Pharao, qui flagellatus à Domino, durior factus eſt, præſentibus æterna connectunt, ut temporale ſupplicium ſit eis æternæ damnationis initium.*

C. XLIII.

*Unde* Auguſtinus *in cantico Deuteronomii.*

IGnis ſuccenſus eſt, &c.] Hoc eſt, vindicta hic incipiet & ardebit uſque ad extremam damnationem.

*Hoc contra illos notandum eſt* e, *qui dicunt [non judicabit Deus bis in idipſum.] ad omnia pertinere flagella : quia quidam hic flagellis emendantur, alii & hic, & in æternum puniuntur : ſicut Antiochus & Herodes. Quod autem ſuper eundem locum de adultero fideli Hieronymus ſentire videtur, ex ejuſdem verbis falſum eſſe probatur. Exemplo enim illius, qui Iſraelitas maledixerat, & qui ligna in ſabbatho collegerat, oſtendit parva peccata brevibus & temporalibus ſuppliciis purgari, magna verò diuturnis & æternis ſuppliciis reſervari.*

C. XLIV.

*Ait enim in primum caput* Naum.

QVærat *f* hic aliquis, ſi fidelis deprehenſus in adulterio decolletur, quid de eo poſtea fiat. Aut enim punietur, & falſum eſt hoc, quod dicitur : (non vindicabit Dominus bis in idipſum in tribulatione:) aut non punietur, & optandum eſt adulteris, ut in præſentiarum brevi & cita pœna fruſtrentur cruciatus æternos. Ad quod reſpondebimus, Deum, ut omnium rerum, ita ſuppliciorum quoque ſcire menſuras, & non præveniri ſententia judicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferri poteſtatem, & magnum peccatum magnis, diuturniſque lui *g* cruciatibus : ſi quis autem punitus ſit, ut ille in lege *h*, qui Iſraëliticis maledixerat, & qui in ſabbatho ligna collegerat, tales poſtea non puniri : quia culpa levis præſenti ſupplicio compenſata ſit.

*Illud autem Gregorii : [Pluit* i *Dominus ſuper unam civitatem, &c.] non ad criminis veniam, ſed ad ejus referendum eſt deteſtationem : ut ideò pars civitatis dicatur eſſe compluta, quia crimen, quod dilexerat, deteſtari incipit, non quòd ejus veniam conſequatur. Criminis autem deteſtatio pluvia vocatur, quia ex fonte divinæ gratiæ cordi noſtro inſtillatur, ut vel ſic quiſq; ad veram pœnitentiam perveniat : aut eò minus à Deo puniatur, quo diuturniore delectatione peccati majus ſibi ſupplicium accumulaſſet. Si verò ad indulgentiam criminis pluvia referatur, Evangelicæ ſententiæ contraire videbitur. Si enim propter fraternum odium, etiam quæ dimiſſa ſunt, replicantur ad pœnam : multò magis, quæ non ſunt dimiſſa, ad vindictam reſervari probantur. Item ſi ſecundum Auguſtinum* k *arbiter ſuæ voluntatis non poteſt inchoare novam vitam, niſi pœniteat eum veteris vitæ, quomodo ad novitatem indulgentiæ perveniet, qui odii vetuſtatem non depoſuit ? Ad deteſtationem ergo criminis, ut dictum eſt, non ad ejus indulgentiam pluvia illa pertinere probatur. Item illud* a *Ambroſii, [Et ſi fides deſit, pœna ſatisfacit,] non de ea fide intelligitur, de qua dicitur,* b *[fides ſine operibus mortua eſt : ] ſed de ea de qua Apoſtolus* c *ait [omne, quod non eſt ex fide,] id eſt, omne quod fit contra conſcientiam (peccatum eſt.) Deeſt ergo fides, cùm non ſubeſt conſcientia peccati. Sed quia delicta omnia nullus* d *intelligit, eſt aliquando peccatum in homine, cujus non habet conſcientiam. Unde Apoſtolus* e *ait: [Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.] Cujus ergo peccati deeſt conſcientia, illius pœna ſi patienter feratur, ſatisfacit; & relevat gravatum. Quod autem in fine objicitur* f, *( ſi ſatisfactio illa fuit, veniam impetravit : ſi autem veniam non impetravit, ſatisfactio non fuit : ſi autem ſatisfactio non fuit, adhuc ſibi pœna imponenda eſt,) non procedit argumentatio, ſatisfactio namq; eſt, dum ipſius cauſa peccati exciditur, & ejus ſuggeſtionibus aditus non indulgetur, ſed ejus fructus non percipitur, impeditus peccato, quod non deſeritur : percipietur autem, cùm ejus pœnitentia fuerit ſubſecuta : ſicut ad lavacrum ſiftè accedens regenerationis ſacramentum accipit, non tamen in Chriſto renaſcitur : renaſcetur autem virtute ſacramenti, quod perceperat, cùm fictio illa de corde ejus receſſerit veraci pœnitentia.*

a *Heb.3.* b *Naum 1.* c *al. vindicabit.* d *Suprà 23. qu.5. hoc tamen. Sententia in gloſſa ordin. Deuteronomii 32. & apud beatum Gregorium Moral. lib. 18. cap. 12.* e *Iſidorus de ſummo bono, lib.3.cap.2.* f *Sententiarum ibidem. Suprà, 29. quæſt. 5. quid ergo. 4. quærat.* g *al.] orig.* h *Num.15.* i *ſupr. cap. pluit Sent. ibid.* k *Suprà, diſt.1. tres ſunt.*

C. XLV.

*Sicut etiam* Auguſtinus *ſcribit in libro* g *de pœnitentia.*

PIum eſt credere, & noſtra fides expoſtulat, ut cùm gratia Chriſti deſtruxerit mala priora in homine, etiam remuneret bona: &, cùm deſtruxerit, quod ſuum non invenit, amet & diligat bonum, quod etiam in peccante plantavit.

*Paulò aliter legitur in originali : ſed Magiſter habet ſicut Gratianus.*

C. XLVI.

*Ex hoc ſenſu illud etiam* Hieronymi *dictum videtur ad cap. 1. Aggæi.*

SI quando videris inter multa *h* mala opera peccatorum facere quempiam nonnulla, quæ juſta ſunt, non tam injuſtus Deus, ut propter mala multa, paucorum obliviſcatur bonorum.

II pars. *Quanquam memoria bonorum ad præſentem remunerationem poſſit referri : ſicut* Gregorius *in homilia de divite & Lazaro ſcribit.*

C. XLVII.

CAvendum nobis eſt, ut ſi fortè aliquid boni agimus, in præſenti ſæculo remunerationem accipiamus: ne fortè dicatur (nobis receperunt *i* mercedem ſuam.) Niſi enim dives iſte aliquid boni egiſſet, unde in præſenti ſæculo remunerationem accepiſſet, nequaquam Abraham ei diceret, [Recepiſti *k* bona in vita tua.]

C. XLVIII.

*Item* Ioannes Chryſoſtomus *homilia 67. ad populum Antiochenum.*

QVid ergo turbamur ? nemo videns malignos proſperitatem habere, turbetur. Non eſt hic retributio malignitatis, neque virtutis : ac, ſi aliquando contingat, ut aliqua ſit retributio vel malitiæ, vel virtutis, non tamen ſecundùm quod dignum eſt, ſed ſimpliciter, velut i quidam guſtus judicii : ut qui reſurrectionem non credunt, talibus doceantur. Quando itaque videmus malignum diſcedere, non ſubruamur, & quando videmus bonum mala pati, non turbemur. Illic corona: illic ſup-

a *Suprà ead. prima conſolatio.* b *Iacob. 2.* c *Romanorum 1.* d *Pſalmo 18.* e *1. Corinth. 4.* f *Suprà, prima conſolatio.* g *In libro de vera & falſa pœnitentia, c.14. Sent.4. diſt.15. infrà diſt.5.c. conſideret. Deuteronomii ibidem.* h *mala opera.] originale. In homil. 49. habetur ſententia.* i *Matth.6.* k *Luc.16.*

plicia

plicia. Eſt & alia ratio : quia non poteſt malus in omnibus malus eſſe, ſed habet aliqua bona : neque bonus in omnibus eſſe bonus, ſed habet aliqua peccata. Cùm ergo proſperitatem malus habet, malo capitis ſui eſt. Cùm enim pro illis paucis bonis retributionem hic accipit, illic jam plenius punietur.

*Poteſt* a *etiam referre memoria bonorum ad mitiorem pœnam habendam, ut bona, quæ inter multa mala fiunt, non proficiant ad præſentis vitæ, vel futuræ præmium obtinendum, ſed ad tolerabilius extremi judicii ſupplicium ſubeundum : ſicut de fide, & cæteris, quæ ſine charitate habentur.*

### C. XLIX.

Auguſtinus *ſcribit in libro de patientia, c. 26.*

SI quis *b* autem non habens charitatem, quæ pertinet ad unitatem ſpiritus, & vinculum pacis, quo catholica eccleſia congregata connectitur, in aliquo ſchiſmate conſtitutus, ne Chriſtum neget, patitur tribulationes, anguſtias, famem, ſitim *c*, nuditatem, perſecutionem, pericula, carceres, vincula, tormenta, gladium, vel flammas, vel beſtias, vel ipſam crucem timore gehennæ *d*, & ignis æterni, nullo modo iſta culpanda ſunt : imò verò & hæc laudanda patientia eſt : (Non enim dicere poterimus, melius ei fuiſſet, ut Chriſtum negando nihil eorũ pateretur, quæ paſſus eſt confitendo:) ſed exiſtimandum, fortaſſe tolerabilius ei futurum judicium, quàm ſi Chriſto negando cuncta illa vitaret. Vnde & illud, quod ait *e* Apoſtolus: [Si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autẽ nõ habuero, nihil mihi prodeſt] nihil prodeſſe intelligitur ad regnum cœlorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius ſupplicium ſubeundum. *& ſuprà, cap. 3.* ¶ Hæc propter charitatem dicta ſint: ſine qua in nobis non poteſt eſſe vera pœnitentia *f*: quia in bonis charitas Dei eſt, quæ tolerat omnia.

II pars. *Pœnitentia ergò, ut ex præmiſſis apparet, nulli in peccato perſeveranti utilis eſt, non tamen alicui deneganda eſt: quia ſentiet fructum ejus, cùm alterius criminis pœnitentiam egerit. Sic itaque pœnitentiæ definitio, & cæteræ auctoritates ſibi conſonantes negant eum agere pœnitentiam, qui perſeverat in crimine, utilem videlicet ſibi & fructuoſam.*

¶ *Illud autem Ambroſii* g: [*Pœnitentia ſemel uſurpata, nec verè celebrata, & fructum prioris aufert, & uſum ſequentis amittit.*] *de ſolenni intelligitur : quæ cùm non verè celebrata fuerit, fructum primis, id eſt, ſuiipſius ſecuturam præcedentis, amittit ( quia veniam, quam impetrare potuit, contempſit) & uſum ſequentis aufert, ſecundùm conſuetudinem quarundam Eccleſiarum, apud quas pœnitentiæ ſolennitas non iteratur. De hac eadem pœnitentia illud etiam intelligitur,* [*non eſt ſecundus locus pœnitentiæ.*]

## DISTINCTIO IV.

QVia h *verò multorum auctoritatibus ſuprà monſtratum eſt pœnitentiam verè celebrari, & peccata verè dimitti ei, qui aliquando in crimen recaſurus eſt : quæritur, an peccata dimiſſa redeant. Hujus quæſtionis diverſorum varia eſt ſententia, aliis aſſerentibus, aliis contrà negantibus peccata ſemel dimiſſa ulterius replicari ad pœnam. Quod autem peccata ſemel dimiſſa redeant, multorum auctoritatibus probatur : quarum prima eſt illa Prophetæ :* [*In* i *memoriam redeat iniquitas patrum ejus:*] *ſecunda illa Evangelii :* [*Serve* k *nequam, omne debitum dimiſi tibi.*

a *Sent. ibid.* b *Epheſ. 5.* c *abeſt ab orig.* d *al. gehennarum.*] *orig.* e *1. Cor. 14.* f *patientia*] *vera lectio.* g *Sent. diſt. 14. ſupr. ea. in ſalicibus. ſupr. diſt. 50. ſi quis poteſt. Hugo de S. Vict. l. 2. de Sacr. p. 14. c. 4.* h *Hugo l. 2. de ſac. p. 15. c. fin. Sent. 4. diſt. 22.* i *Pſal. 108.* k *Matth. 18.*

### C. I.

*Deinde in libro Pſalmorum* Auguſtinus a *ait ad Pſalmum 108.*

SI Iudas teneret illud, ad quod vocatus eſt, nullo modo ad eum vel ſua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, iniquitatem vetuſti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus in conſpectu Domini, ut in eo etiam ipſa *b* puniretur, & peccatum matris ejus non deleretur. *Item Rabanus.* ¶ Tradidit eum tortoribus, &c.] Conſiderandum eſt, quòd dicit : [univerſum debitum : ] quia non ſolùm peccata, quæ poſt baptiſmum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam, verumetiam peccata originalia, quæ in baptiſmo ei dimiſſa ſunt.

### C. II.

*Item* Gregorius *lib. 4. dialog. c. 50.*

COnſtat *c* ex dictis Evangelii, quòd ſi hoc, quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur, quod nobis jam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus.

### C. III.

*Item* Auguſtinus *in homilia 15. de verbis Domini.*

DIxit *d* Dominus, [ Dimitte *e*, & dimittuntur tibi;] ſi *f* ego prior dimiſi, dimitte vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris, revocabo te, & quidquid tibi dimiſeram, replicabo tibi.

### C. IV.

Item *ibidem.*

QVi *g* divini beneficii oblitus ſuas vult vindicare injurias, non ſolùm de futuris peccatis veniam non merebitur : ſed etiam præterita, quæ jam ſibi dimiſſa credebat, ad vindictam ei replicabuntur.

### C. V.

*Item* Beda *ſuper Lucam, lib. 4. c. 48.*

REvertar *h* in domum meam, unde exivi.] timendus eſt iſte verſiculus, non exponendus : ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat.

### C. VI.

Idem *ibidem.*

QVæcunque *i* enim *k* poſt baptiſma, ſive pravitas hæretica, ſeu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium proſternet in ima vitiorum.

### C. VII.

*Item* Auguſtinus *in libro quæſtionum Deuteronomii, quæſt. 42.*

PEccatum, quod ex Adam contrahitur *l*, temporaliter redditur : quia omnes propter hoc moriuntur, non autem in æternum eis, qui fuerint per gratiam ſpiritaliter regenerati, in eaque permanſerint uſque in finem.

2 pars. *Eorum* m *verò, qui hanc ſententiam ſequuntur, alii dicunt, quòd peccata reditura dimittuntur ſecundùm juſtitiam, ſed non ſecundùm præſcientiam : ſicut nomina diſcipulorum, qui retrò abierunt, erant ſcripta in libro vitæ propter juſtitiam, cui deſerviebant, non ſecundùm præſcientiam, qui in numero ſalvandorum eos non habebat. Sic à latere* n *Dei dicuntur mille caſuri, & decem millia à dextris ejus, quos tamen divina præſcientia nunquã ſuis adnumeraverat. Hinc etiam Dominus ait* o *Moyſi :* [*Si quis peccaverit ante me, delebo eum de libro vitæ* p ] *ut ſecundùm juſtitiam judicis ille peccando dicatur deleri, qui ſecundùm*

a *Et Proſper. ibid.* b *ipſe.*] *orig. Sentent. 4. diſtinct. 22.* c *Sentent. ibid.* d *Dicit illi Deus.*] *orig.* e *Luc. 6.* f *Sent. non verba.* g *Sentent. ibid.* h *Sentent. ibid.* i *al. Quemcunq.* k *Sentent. ibid.* l *al. trahitur.* m *Beatus Ambroſius lib. 9. com. in epiſt. ad Romanos in illa verba* [*Iacob dilexi.*] *& gloſſa ordin. ibid. in* [*ut oſtenderet divitias.*] n *Pſal. 90.* o *Exod. 32.* p *meo.*] *orig.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*præſcientiam nunquam fuerat adſcriptus. Hinc Auguſtinus in epiſtola* 1 *ad Corinthios:* a [*Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt Deo, etſi in aliquibus. Communia omnibus ſunt omnia ſacramenta, ſed non communis gratia: ita & nunc baptiſmus eſt communis, ſed non virtus baptiſmi.*]

1 ¶ In epiſtola ad Corinthios] *Hæc ſunt apud Bedam in comm. c. 10. epiſt. ad Cor. ex B. Auguſtino in Pſal. 77. & copioſius apud illos exponuntur.*

3 pars. *Verùm hoc de fictè accedentibus, vel de his, qui extra eccleſiam baptizantur, intelligitur: qui ſacramenti quidem integritatem accipiunt, virtutem verò ejus minimè aſſequuntur. Parvulis verò, vel adultis plena fide accedentibus omnia* b *peccata remittuntur, etſi aliquando receſſuri à bono in malam vitam ſint finituri.*

## C. VIII.

*Unde* Auguſtinus *in libro de correptione & gratia, cap. 8. & 9.*

SI *c* ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur, reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus cùm fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animas eorum. Vtrùm hoc in poteſtate non habuit? an eorum mala futura neſcivit? Nempe nihil horum niſi perverſiſſimè atque inſaniſſimè dicitur. Cur ergo non fecit? Reſpondeant, qui nos irrident, quando in talibus rebus exclamamus [quàm *d* inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.] Neque enim hoc donat Deus, quibus voluerit: aut verò ſcriptura illa mentitur, quæ de morte velut immatura hominis juſti ait, *e* [Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.] Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus? apud *f* quem non eſt iniquitas, neque acceptio perſonarum, & in cujus poteſtate eſt, quamdiu quiſque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta eſt ſuper terram? Sicut ergo coguntur fateri, donum Dei eſſe, ut finiat homo vitam iſtam, antequam ex bono mutetur in malum: cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant; ita donum Dei eſſe in bono perſeverantiam ſecundùm ſcripturas (de quibus teſtimonia multa jam poſui) fateantur nobiſcum, & cur aliis detur, aliis non detur, ſine murmure adverſus Deum dignentur ignorare nobiſcum. Nec *g* nos moveat, quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam. Abſit enim, ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundùm propoſitum vocatis, qui verè ſunt filii promiſſionis. Nam iſti cùm piè vivunt, dicuntur filii Dei: ſed quoniam victuri ſunt impiè, & in eadem impietate morituri, non eos dicit filios Dei præſcientia Dei. Sunt enim filii Dei, qui nondum ſunt nobis, & ſunt jam Deo: de quibus ait Evangeliſta *h* Ioannes: [quia IESVS erat moriturus pro gente, & non tantùm pro gente, ſed etiam, ut filios Dei diſperſos congregaret in unum:] quod utique credendo futuri erant per Evangelii prædicationem: & tamen antequam eſſet factum, jam filii Dei erant in memorali patris ſui inconcuſſa ſtabilitate conſcripti. Et ſunt rurſus quidam, qui filii Dei propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec ſunt tamen Deo: de quibus ait idem *i* Ioannes: [ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum:] non ait, ex nobis exierunt, ſed quia non manſerunt nobiſcum, jam non ſunt ex nobis: verùm ait: [ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.] hoc eſt, & quando videbantur ex *k* nobis, non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur, unde id oſtendis? [Quòd ſi fuiſſent, inquit, ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.] Filiorum Dei vox eſt: Ioannes loquitur in filiis Dei præcipuo loco conſtitutus. Cùm ergo filii Dei dicunt de his, qui perſeverantiam non habuerunt, [ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis:] & addunt [quòd ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum] quid aliud dicunt, niſi non erant filii, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum: non quia juſtitiam ſimulaverunt, ſed quia in ea non permanſerunt. Neque enim ait, nam ſi fuiſſent ex nobis, veram, non fictam juſtitiam tenuiſſent utique nobiſcum: ſed [ſi fuiſſent, inquit, ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.] In *a* bono illos volebat proculdubio permanere: erant itaque in bono, ſed quia in eo non permanſerunt, id eſt, non uſque in finem perſeveraverunt, non erant, inquit, ex nobis, & quando erant nobiſcum: hoc eſt, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam, qui verè filii ſunt, præſciti & prædeſtinati, ſunt conformes imaginis filii ejus, & ſecundùm propoſitum vocati ſunt, ut electi eſſent. Non enim perit filius promiſſionis, ſed filius perditionis. Fuerunt ergo iſti ex multitudine vocatorum; ex electorum autem paucitate non fuerunt. Non igitur filiis ſuis prædeſtinatis Deus perſeverantiam non dedit. Haberent enim eam, ſi in eo filiorum numero eſſent: & quid haberent, quod non accepiſſent, ſecundùm Apoſtolorum *b*, veramque ſententiam? Ac per hoc tales filii, filio Chriſto dati eſſent, quemadmodum ad patrem dicit ipſe; [ut *c* omne, quod dediſti mihi, non pereat, ſed habeat vitam æternam.] Hi ergo Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam æternam, ipſi ſunt illi prædeſtinati, & ſecundùm propoſitum vocati, quorum nullus *d* perit: ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam: quoniam ſic eſt ordinatus, & ideò Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et rurſùs, quos dicimus inimicos ejus, vel parvulos filios inimicorum ejus, quoſcunque eorum ſic regeneraturus eſt, ut in ea fide, quæ per dilectionem operatur, hanc vitam finiant: jam & antequam hoc fiat, in illa prædeſtinatione ſunt filii ejus, & dati ſunt Chriſto filio ejus, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam. Denique ipſe Salvator: [ſi *e* manſeritis, inquit, in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis.] Nunquid in his computandus eſt Iudas, qui non manſit in verbo ejus? Nunquid in his computandi ſunt illi, de quibus Evangelium ſic loquitur? ubi Dominus cùm commendaſſet manducandam carnem ſuam, & bibendum ſanguinem ſuum, ait *f* Evangeliſta: [Hæc dixit in ſynagoga in Capharnaum. Multi ergo audientes ex diſcipulis ejus, dixerunt: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Sciens autem IESVS apud ſemetipſum, quia murmurabant de hoc diſcipuli ejus, dicit eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? Spiritus eſt, qui vivificat: caro autem non prodeſt quidquam. Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Ieſus, qui eſſent credentes, & quis traditurus eſſet eum, & dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo venit ad me, niſi fuerit ei datum à patre meo. Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retrò, & jam non cum illo ambulabant.] Nunquid non & iſti diſcipuli appellati ſunt, loquente Evangelio? & tamen non erant verè diſcipuli, quia non manſerunt in verbo ejus, ſecundùm id, quod ait: [Si *g* manſeritis in verbo meo, verè diſcipuli mei eſtis.] Quia ergo non habuerunt perſeverantiam, ſicut non verè diſcipuli Chriſti: ita nec verè filii Dei fuerunt, etiam quando eſſe videbantur, & ita vocabantur. Appellamus ergo nos & electos Chriſti diſcipulos, &

---

a *1. Cor. 10. Sent. 4. diſt. 4.* b *al. omninò.* c *De iis enim differimus, qui perſeverantiam bonitatis non habent, ſed ex bono, &c.] orig.* d *Rom. 11.* e *Sap. 4.* f *Iob. 7.* g *Ibid. c. 9. ꝟ. ead. hanc ſocietatem.* h *Ioann. 11.* i *1. Ioan. 2.* k *al. in.*

a *Suprà ead. pœnitentia, diſtinct. 2. Apoſtolus verſ. in bono.* b *1. Cor. 4.* c *Ioan. 6.* d *ſupr. diſt. 2. de pœnitentia, c. nullus eorum.* e *Ioan. 8.* f *Ioan. 6.* g *Ioan. 8.*

De

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Dei filios: quia ſic appellandi ſunt, quos regeneratos piè vivere cernimus. Sed tunc verè ſunt, quod appellantur, ſi manſerint in eo, propter quod ſic appellantur. Si autem perſeverantiam non habent, id eſt, in eo, quod cœperunt eſſe, non manent, non verè appellantur, quod appellantur, & non ſunt. Apud eum enim hoc non ſunt, cui notum eſt, quod futuri ſunt, id eſt, ex bonis mali.

4 pars. *Finis hujus auctoritatis eorum ſententia concordat, qui peccata dicunt remitti ſecundùm juſtitiam, & non ſecundùm præſcientiam. Alii verò, quamvis fateantur peccata redire, tamen ſeu per baptiſma, ſeu per pœnitentiam aſſerunt omninò peccata remitti, & plena fide accedentem ad lavacrum renaſci non aqua tantum, ſed etiam Spiritu Sancto: & ſi poſtea peccaturus ſit, deinde pœnitentem, etſi aliquando recaſurus ſit, tamen tempore ſuæ pœnitentiæ ita perfectè expiatum affirmant, ut ſi tunc moreretur, ſalutem inveniret æternam. Quorum ſententiæ, ejuſdem auctoritatis principium conſentit. Cùm enim quæſtionem proponat, quare præſciti ad mortem, cùm fideliter ac piè viverent, non tunc de vita hujus periculis Deus rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animas eorum, cùm de immatura morte prædeſtinati ſcriptura dicat: [a Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus:] evidenter oſtendit illos tales fuiſſe, qui ſi fatali neceſſitate hujus vitæ ſubducti eſſent periculis, profectò vitam conſecuti eſſent æternam. Vt ergo finis principio conveniat, & ne ſibi ipſi contraire videatur, deſiniendum eſt, quid ſit ſcribi in libro vitæ, & de eo deleri ſecundùm juſtitiam, quid ſecundùm præſcientiam. Secundùm præſcientiam ſcribi, eſt ad vitam præordinari: quod ab æterno factum eſt.*

## C. IX.

*Vnde* Apoſtolus *in epiſtola ad Epheſios, cap. 1.*

Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omnibus benedictione ſpirituali, in cœleſtibus in Chriſto Ieſu: ſicut elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate: qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, in ipſum.

*Similiter ſecundùm præſcientiam deleri, eſt ad mortem, non ad vitam præſciri: quod & ipſum ab æterno factum eſt. Vnde Dominus in Evangelio: [Qui credit in me, habet vitam æternam: qui autem non credit, jam judicatus eſt.]*

## C. X.

*Hinc etiam* Auguſtinus *ait.*

Novit b Dominus, qui ſunt ejus.] Ex his nemo ſeducitur. Nondum apparuit judicium, ſed jam factum eſt.

¶ *Sententia eſt apud beatum Auguſtinum, tract. 12. in Ioannem, & in 20. de civitate Dei, cap. 7. unde citat Beda in 2. Timoth. 2. Verba autem ferè eadem ſunt in gloſſa ordinaria ad eum ipſum Pauli locum.*

*Porrò ſecundùm juſtitiam ſcribi, eſt, Deo auctore ea operari, quorum merito ſit dignus æterna ſalute. Hunc duplicem modum ſcribendi in Evangelio Dominus aſſignavit, dicens diſcipulis: [In c domo patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum: & ſi abiero, & paravero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad meipſum, ut ubi ego ſum, & vos ſitis.] dicens: [In domo patris mei manſiones multæ ſunt: ſi quo minus, dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum.] oſtendit eos, quibus loquebatur, ſcriptos in libro vitæ, prædeſtinatione. Subjiciens [ſi abiero, & paravero vobis locum, &c.] oſtendit eos adhuc eſſe ſcribendos operatione.*

a *Sap.* 4. b 2. *Timoth.* 2. c *Ioan.* 14.

## C. XI.

*Hinc autem* Auguſtinus *in ejuſdem* a *loci explanatione ait.*

In domo patris mei manſiones multæ ſunt.] Domus b Dei, templum Dei, regnum Dei, regnum cœlorum, ſunt homines juſti: in quibus ſunt multæ differentiæ inter ſe, & hæ ſunt manſiones ipſius domus. Hæ autem jam paratæ ſunt in prædeſtinatione, ſicut ait c Apoſtolus, [qui elegit nos ante mundi conſtitutionem] prædeſtinando, parando d autem in operatione. Vnde [quos prædeſtinavit, hos & vocavit,] & juſtificavit, & magnificavit. Et ſecundùm hoc dicitur e [fecit Deus, quæ futura ſunt,] id eſt, quæ facturus eſt. *& infrà.* [¶ Si quo minus] confirmat eſſe: quia ſi non eſſent, dixiſſet, ibo & parabo, id eſt, prædeſtinabo. Sed quia jam ibi ſun, non eſt opus aliqua parare. Quia verò nondum ſunt in operatione, addit: [& ſi abiero, & paravero.] Abiens, ſed non relinquens, parat: quia ſubtrahit ſe, & latet: ut ſit fides, quæ non eſt de re viſa: & inde eſt meritum fidei. ¶ Ex hac vivit juſtus, & mundatur ei cor, dum peregrinatur, & in ea deſideratur, quod nondum habetur. Et hæc eſt præparatio manſionis: quia ſic parat nos ſibi, & ſe nobis, ut maneat in nobis, & nos in eo, quantum quiſque erit particeps ejus plus, vel minus pro diverſitate meritorum. Et hæc multitudo manſionum eſt 1.

¶ *Sententia quidem hujus capitis eſt in tract. 68. in Ioannem: ſed ipſa verba ſunt in gloſſa ordinaria ad cap. 14. Ioannis, & ex ea ſunt nonnulla emendata.*

1 ¶ Manſionum eſt] *Sequebatur.* Item, *quaſi hìc citaretur alter locus beati Auguſtini, aut gloſſa. Abeſt autem à pleriſque manuſcriptis. Nam quæ ſequuntur, videntur eſſe Gratiani.*

*Secundùm juſtitiam deletur, qui gratia ſubtracta, ea operari permittitur, quibus æternam damnationem meretur. Hinc Propheta* f *loquens ex perſona Chriſti ait: [deleantur de libro viventium,] hoc eſt, ſubtrahatur eis gratia, qua ſubtracta, ii in profundum vitiorum, deinde in æternam damnationem præcipitentur: [& cum juſtis non ſcribantur,] id eſt, non apponatur eis gratia, qua fiant digni æterna ſalute. Si itaque peccata ſecundùm præſcientiam remittuntur, cùm ab æterno gratia præparatur, qua vocatus juſtificetur, juſtificatus tandem æternaliter glorificetur. Secundùm juſtitiam verò peccata remittuntur, cùm vel baptiſma plena fide accipitur, vel pœnitentia toto corde celebratur: quæ remiſſio & ipſa ſecundùm præſcientiam non inconvenienter fieri dicitur. Vt enim ex præmiſſa auctoritate Apoſtoli datur intelligi, duæ ſunt præordinationes: una, qua quiſque præordinatur hìc ad juſtitiam & remiſſionem peccatorum percipiendam: altera, qua aliquis prædeſtinatur ad vitam æternam in futuro obtinendam. Harum effectus ſunt præſens juſtificatio & futura glorificatio: quæ omnia in præmiſſa auctoritate convenienter diſtinguuntur. Prima enim prædeſtinatio, qua præordinantur ad præſentem juſtitiam, deſignatur, cùm dicitur, [ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, &c.] cujus effectus infrà ſupponitur, [in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo, &c.] Secunda præordinatio ibi oſtenditur [qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum, &c.] Ejus effectus præmittitur, dum dicitur, [qui benedixit nos in omni benedictione, &c.] Hæ duæ præordinationes, & earum effectus ita ſe habent, ut prima, & ejus effectus natura præcedant, & lege conſequendi inferantur. Si enim aliquis præordinatus eſt ad vitam, conſequenter infertur, ergo prædeſtinatus eſt ad juſtitiam: & ſi conſequitur vitam æternam, ergo conſecutus eſt juſtitiam: ſed non convertitur. Vnde multi participes ſunt primæ præordinationis, & ejus effectus, ad quos ſecunda,*

a *Tract. 68. in Ioan. c. 14. & ibi gloſſ. ordinaria.* b *Epheſ. 1.* c *Rom. 2.* d *al. paranda ſunt in.* e *Eſa. 41. & 44. Gloſſ. ibid.* f *Pſal. 68.*

*vel ejus effectus minimè pertinere probantur. Iuxta hanc diſtinctionem intelligenda eſt auctoritas illa Ioannis* a: *[Exierunt ex nobis: ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.] [Ex nobis, inquit, exierunt,] id eſt, à noſtra ſocietate receſſerunt, quia primæ præordinationis, & ejus effectus nobiſcum participes erant: [ſed non erant ex nobis,] id eſt, ſecundæ præordinationis, & ejus effectus ſocietatem nobiſcum non inierant. Quod ex eo videri poteſt: quia ſi fuiſſent ex nobis, id eſt, ſi illius præordinationis nobiſcum participes eſſent, manſiſſent utique nobiſcum, id eſt, à ſocietate effectus ejus præordinationis, quam nobiſcum contraxerant, non receſſiſſent. Si enim ad ſecundam præordinationem utrunque referretur, non convenienter illud inferretur [manſiſſent.] Imò cœpiſſent utique nobiſcum eſſe. Si verò ad primam, falſa eſſet propoſitio, [ſi fuiſſent ex nobis, &c.] Multi enim præſentis juſtitiæ & ſanctitatis participes fiunt, qui tamen in ea non perſeverant. Vnde Dominus ait in Evangelio* b: *[Non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.]*

## C. XII.

*HAnc ſocietatem ſi quis ſolo nomine, & profeſſione, non autem rei veritate à damnandis dicat contrahi, ejuſdem auctoritatis teſtimonio convincitur. De his enim, qui primæ, non ſecundæ præordinationis ſunt participes, ait:* c *[Nec nos moveat, quòd filiis ſuis quibuſdam Deus non dat iſtam perſeverantiam. Abſit enim, ut ita eſſet, ſi de illis prædeſtinatis eſſent.] & cætera, quæ in eadem auctoritate ſuprà continentur. Oves namque, de quibus in Evangelio Dominus ait: [Et* d *alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili.] & filii, de quibus Ioannes* e *ait: [ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum,] ita præſcientia erant oves, & filii, ut qualitate præſentium, non ſpecie* 1 *tantùm, ſed etiam ante Dei oculos eſſent filii iræ & perditionis æternæ. Vnde Apoſtolus* f *non ait, videbamur eſſe, ſed [eramus, inquit, & nos natura filii iræ.] Nec ait, reputabamini ab hominibus, ſed [*g *fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.] De ſe quoque ſcribens ad Timotheum, non ait:* h *videbar, ſed [fui perſecutor, & blaſphemus, & contumelioſus: nunc autem ſum miſericordiam conſecutus.] Omnes quoque, qui in Chriſto renaſcuntur, & qui ejus ſanguine à diabolo redimuntur, prius ex Adam peccatores naſcuntur, & diabolicæ ſervituti obnoxii. Sicut ergo iſti, quamvis ſint futuri filii Dei, tamen prius ſunt filii diaboli: ſic hi, de quibus ſermo habetur, quamvis recedendo à juſtitia ſint futuri filii perditionis æternæ, cum tamen piè & fideliter vivunt, verè ſunt filii Dei, & juſti, & æterna beatitudine digni. Vnde auctoritas non ait:* i *cùm viderentur piè & fideliter, vivere, ſed [cùm piè & fideliter viverent.] Nec veraciter à bono in malum commutarentur, qui nunquam veraciter boni fuerunt. Dominus quoque non ait per Ezechielem* k: *ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, quam videbatur habere, ſed [ſua,] ſcilicet, quam veraciter habet. Quod autem in eadem* l *auctoritate ſequitur: [Non erant in numero filiorum, quando erant in profeſſione filiorum,] ita intelligendum eſt. Filii Dei duobus modis appellantur* 2. *Dicuntur filii Dei, participatione hæreditatis æternæ, ſicut Ioannes ait in Evangelio:* m *[Quotquot crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.] Et Apoſtolus in epiſtola ad Romanos:* n *[Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat.] & infrà. [Ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.] & infrà: [Ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes.] Hinc etiam Auguſtinus eadem verba Apoſtoli exponens, ait: [Modo* 3 *tantùm creatura, cùm nondum filiorum forma perfecta.] Hoc ergo modo non ſunt filii Dei, niſi participes æternæ beatitudinis. In præſenti etiam dicuntur filii tribus modis, vel prædeſtinatione tantùm (ſicut ii, de quibus Ioannes ait:* a *[ut filios Dei, qui diſperſi erant, &c.]) vel prædeſtinatione, & ſpe æternæ beatitudinis (ſicut illi, quibus Dominus ait,* b *[filioli adhuc modicum vobiſcum ſum.]) vel merito fidei, & præſentia juſtitiæ, non autem prædeſtinatione charitatis æternæ: ſicut hi, de quibus Dominus ait:* c *[ſi dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, &c.] Hi ergo, de quibus in præſenti agitur, filii ſunt merito fidei, & præſentis juſtitiæ, non ſunt autem filii adoptionis æternæ. Qui ergo peccata dimiſſa fatentur redire, ſecundùm juſtitiam, & non ſecundùm præſcientiam ea dimitti, neceſſe eſt ut confiteantur: ſicut ſalvandis peccata ſecundùm juſtitiam ad æternam damnationem imputantur, non ſecundùm præſcientiam: quia & illis à bono in malum deficientibus, ſingula replicabuntur ad ſupplicium: & his uſque in finem in bono perſeverantibus, nulla imputabuntur ad pœnam [æternam* d.]

¶ *In vetuſtis codicibus caput hoc eſt conjunctum ſuperiori. Sunt enim Gratiani verba, qui more ſuo loca aliquot citat.*

1 ¶ Specie] *Sic eſt emendatum ex codice pervetuſto. Nam antea legebatur,* ſpe. *quæ vox valdè ſententiam turbabat.*

2. ¶ Duobus modis appellantur] *In vulgatis ſequebatur,* [uno modo appellantur in futuro, altero in præſenti, qui triplex eſt.] *quæ abſunt ab omnibus manuſcriptis, & antiquioribus etiam editionibus.*

3 ¶ Modo tantùm creatura] *In libro 83. quæſtionum q. 67. poſt alia habentur hæc.* Et ipſa itaque creatura, id eſt, & ipſi, qui nondum vocatur filiorum forma perfecta, ſed tantùm vocatur creatura, liberabitur, &c. *quæ referuntur alio in epiſt. ad Rom. cap. 8. Sed apud gloſſam ibidem habentur eadem verba, quæ apud Gratianum.*

5 pars. *Qui autem dicunt, quòd peccata dimiſſa non redeunt, auctoritate Gregorii & Proſperi ſententiam ſuam confirmare conantur.*

## C. XIII.

*Ait enim* Gregorius *in Moralibus, lib. 15. cap. 22.*

QVid eſt, quod dicitur [qui reddis iniquitatem Patrum filiis, ac nepotibus:] Peccatum originale à Patribus trahimus, & niſi per gratiam baptiſmi ſalvamur, etiam parentum culpam portamus: quia unum adhuc cum illis ſumus. Reddit iniquitatem Patrum filiis *e*, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rurſum non reddit iniquitatem filiis *f*, quia cùm ab originali culpa per baptiſmum liberamur, non jam parentum culpas, ſed quas ipſi committimus, habemus.

¶ *Verba ipſa hujus capitis ſunt in gloſſa ordinaria ad cap. 34. Exod. ex Gregor. in loco indicato: ex qua gloſſa ſunt hic nonnulla emendata.*

## C. XIV.

*Item in reſponſionibus* Proſperi *ad ſecundam objectionem Gallorum.*

QVi recedit à Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditionem cadit? ſed non in id, quod remiſſum eſt, recidit: nec in originali peccato damnabitur: qui tamen propter poſtrema crimina 1 ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ dimiſſa ſunt, debebatur.

1 ¶ Propter poſtrema crimina] *Addita ſunt hæc ex originali: quibus ſententia valdè illuſtratur.*

*Finis hujus auctoritatis principio contraire videtur. Neque enim aliud eſt, dimiſſa peccata redire, vel in originali peccato damnari, quàm pœnam peccato debitam poſt ejuſdem remiſſionem excipere. Auctoritates verò ſibi contrarias aſſertores hujus ſententiæ ita determinant: peccata dimiſſa redire dicuntur, quia quiſquis*

a *1. Ioan. 2.* b *Matth. 10.* c *al. Auguſtinus ait. ſup. ead. cap. ſi ex bono.* d *Ioan. 10.* e *Ioan. 1.* f *Epheſ. 2.* g *Eph. 5.* h *1. Timoth. 1.* i *ſup. ead. ſi ex bono.* k *Ezech. 18.* l *ſup. ſi ex bono.* m *Ioan. 1.* n *Rom. 8.*

a *Ioan. 11.* b *Ioan. 13.* c *Pſal. 88.* d *abeſt à pleriſque manuſcript.* e *in filios.* f *in filios.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*poſt acceptam remiſſionem peccatorum ad vomitum redierit, tantò gravius punietur, quantò magis benignitate Dei abuſus, ſingulorum remiſſionis accepta ingratus extitit.*

6 pars. *Verùm illa ſententia favorabilior videtur: quia pluribus roboratur auctoritatibus, & evidentiori ratione firmatur. Vt enim* Dominus *ait per Ezechielem, c.18.*

C. XV.

SI averterit *a* ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundùm omnes admonitiones, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? omnes juſtitiæ, quas fecerat, non recordabuntur: in peccato ſuo morietur, non erunt in memoria juſtitiæ ejus, quas fecit.

C. XVI.

*Item* Gregorius *b in explanatione ejusdem loci.*

HOc nobis maximè conſiderandum eſt, quia cùm mala committimus, ſine cauſa ad memoriam bona noſtra tranſacta revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet eſſe fiducia bonorum præteritorum.

C. XVII.

Idem *in homil. 4. ad c.1. Ezech.*

DE pertuſo quippe ſacculo aliunde exit, quod aliunde immittitur *c*, quia indiſcretæ mentes mercedem, quæ ex bono opere acquiritur, non aſpiciunt, quomodo ex malo opere perdatur.

C. XVIII.

*Item* Petrus *in epiſt. 2. c. 2.*

SI refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.

C. XIX.

Paulus *quoque ſcribens ad Hebr. ait, cap. 6.*

INtermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectionem feramur, non rurſus jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis.

*Dicens opera mortua, priora bona ſignificat Apoſtolus, quæ perſequenti peccatum erant mortua, quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc, ſicut peccando fiunt irrita, ita per pœnitentiam reviviſcunt, & ad meritum æternæ beatitudinis ſingula prodeſſe incipiunt, etiam illa quæ peccatis inveniuntur admiſta. Vnde Auguſtinus: [Pœnitet* d *credere, &c.] & Hieronymus: [Non* e *eſt injuſtus Deus, &c.] Apoſtolus etiam ſcribens ad Hebræos, cum fidem, & dilectionem, & bona opera eorum breviter commemoraſſet, horum omnium mercedem, quam amiſerant peccando, poſt pœnitentiam a Domino eos recepturos oſtendit. Porrò, qui per Prophetam dixit* f *[ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua.] ipſe per eundem Prophetam promiſit* g *dicens: [ſi impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit univerſa præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.]* h *Filiis quoq; Iſrael per Aſſyrios captivandis, veteris idololatriæ peccatum Dominus per Oſee improperat: & peccatum quod Moyſe ſupplicante patribus fuerat dimiſſum, hoc in filiis revixiſſe oſtendit, dicens.*

C. XX.

VÆ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia prævaricati ſunt in me. Et ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia: & non clamaverunt ad me in corde ſuo: ſed ululabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant: & receſſerunt à me, & ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam: reverſi ſunt ut eſſent abſque jugo, facti ſunt, quaſi arcus doloſus: cadent in gladio Principis eorum à furore linguæ ſuæ.

7 pars. *Antiqua peccata parentum filiis improperat ſermo divinus: & propterea Principes eorum in gladio caſuros prædicit. Sed per eundem Prophetam* a *contrà Dominus ſe facere oſtendit, dicens.*

C. XXI.

NE fortè dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum: nunc circumdederunt eos adinventiones ſuæ: coram facie mea factæ ſunt.

C. XXII.

*Item* Hieronymus *ad c.7. Oſeæ.*

CVm ita puniantur, ne cogitent, quòd pro veteribus peccatis Patrum puniam eos: quia nunc, id eſt, in præſenti, pro malitiis ſuis, quas invenerunt, circumdati ſunt pœna: & mala eorum, ſicut putant, non poſſunt me latere: ſed potiùs ipſæ adinventiones apertæ ſunt coram facie mea, quæ omnia clarè videt.

¶ *Sententia hujus capituli eſt quidem in commentariis B. Hieronymi in c.7. Oſeæ: ſed propria verba ſunt in gloſſa interlineari ibidem ad ea verba,* ne fortè dicant in cordibus.

C. XXIII.

Idem *ibidem.*

HÆretici non poſſunt vetera peccata contra Deum cauſari, cùm antiquis operibus addant novam impietatem, & ſuis ligentur peccatis: & cùm Deum celare ſe putant, oculos ejus vitare non poſſunt: quia *b* vultus Domini ſuper facientes mala.

¶ *Et hoc etiam capitulum eſt in gloſſa ordinaria in eundem locum ex B. Hieronymo.* c

C. XXIV.

*Item* Gelaſius Papa.

DIvina clementia dimiſſa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.

*Sed his auctoritatibus docentur filii ab originali peccato expiati, non ideò puniendi, quia Patres peccaverunt: ſed ideò peccata Patrum in eos redire, quia eorum culpam ſequuntur. Sic & bona, quæ peccato moriuntur, non proficient ad præmium, quia facta ſunt: ſed quia per pœnitentiam reviviſcunt. Tale eſt & illud Auguſtini* d *in libro Pſalmorum: [Si Iudas teneret adoptionem, &c.] Sic & illud* e *Gregorii in Moralib. intelligitur: [Quid eſt, quod dicitur, reddis iniquitatem Patrum in filios, &c.] Illis namq; parentum iniquitas redditur, qui propterea puniuntur, quia in radice traxerunt amaritudinem peccati. Illis autem non redditur, in quibus merito ſuæ iniquitatis non reviviſcunt peccata parentũ. Sicut ergo bona, quæ peccato moriuntur, per pœnitentiam reviviſcunt ad præmium: ſic & mala, quæ per pœnitentiam delentur, reviviſcunt ad ſupplicium. Vnde Propheta ex perſona pœnitentis deplorat, dicens: [Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ,] id eſt, plaga per baptiſmũ ſanata. Hinc etiam idem Propheta, quamvis fide & ſacramento circumciſionis ab originali peccato ſe mundatum cognoſceret, tamen adulterio & homicidio, quod commiſerat, illud revixiſſe intelligens, non ſine cauſa inter cætera ipſum confitetur, & dicit: [Ecce* f *enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c.]*

DISTINCTIO V.

1 ps IN pœnitentia *autem, quæ peccatorem conſiderare oportet,* Auguſtinus *in libro de pœnitentia* g *docet, dicens.*

a *Sentent. 4. diſtinct. 15.* b *Homil. 11. ad c.3. Ezech. Sent. 4. diſt. 15.* c *al. mitti.* d *ſup. diſt. 3. de pœn. cap. pium.* e *ſup. diſt. 3. ſi quando. ſup. diſt. 2. non eſt tam.* f *Ezech. 33.* g *alit. præmiſi.* h *Exod. 32.*

a *Ibid.* b *Pſal. 33.* c *Sup. 23. quæſt. 4. ſi illic.* d *Supr. ead. ſi Iudas.* e *Supr. ead. quid eſt.* f *Pſal. 51.* g *De vera & falſa pœnitentia, cap. 14. & 15. inter opera Auguſt. Sentent. 4. diſtinct. 16.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C. I.

COnſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitii multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem ſecundùm excellentiam ſui ſtatus aut officii, & ſecundùm modum meretricis, & in modo *a* operis ſui, & qualiter turpitudinem ſuam peregit, ſi in loco ſacro, aut cui debuit excellentiam fidei (ut ſunt domus Dominorum, & aliorum multorum) ſi in tempore orationi conſtituto, aut in feſtivitate ſanctorum, & in tempore jejunii. Conſideret, quantum perſeveraverit, & defleat, quòd perſeveranter peccaverit, & quanta 1 virtus fuerit in pugnatione. Sunt enim, qui non ſolùm vincuntur, ſed ultrò ſe peccato offerunt: nec expectant tentationem, ſed præveniunt voluptatem, & pertractant ſecum, quàm multiplici actione vitii delectabiliter peccent. Omnis iſta varietas confitenda eſt & deflenda: ut cùm cognoverit, quòd peccatum eſt multum, cito inveniat Deum propitium. In cognoſcendo augmentum peccati, inveniat ſe, cujus ætatis fuerit, cujus ſapientiæ, & ordinis, & ſtatum omnem alterius non peccantis. Immoretur in ſingulis iſtis, & ſentiat modum criminis, purgans lachrymis omnem qualitatem vitii. Defleat virtutem, qua interim caruit. Dolendum eſt enim, & dolore purgandum, non ſolùm quia peccavit, ſed etiam, quòd ſe virtute privavit. Nam, licet ſperet ſe conſecuturum veniam, dolere tamen poteſt, quia non promeruit unde remunerari confidat. Anxietur & doleat quòd modò effugiens de præteritis pœnam, miſer non inde expectet gloriam *b*, cujus omne tempus, quoniam breviſſimum eſt, debuit decertaſſe ad conſequendum præmium. Defleat etiam, quoniam in uno offendens, factus eſt omnium per ingratitudinem reus. Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum omninò non timuit. In hoc enim quiſque peccator fit culpabilior, quo eſt Deo acceptior. Ideò enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Etiam alio modo offendens in uno, reus eſt omnium: quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio. Nam ſi quis cadit in avaritiam, largitatem deſtruit, & etiam caſtitatem minoravit. Amore enim pecuniæ vel violaret caſtitatem, vel ſaltem minus amaret. Si enim propter Deum tanta adhuc caſtitas ineſt, ut nolit eam perdere, tamen ſaltem minori gaudio, minore affectu tuetur eam, ubi videt inde procedere damnum pecuniæ, ſicq; & in aliis: quæ etiamſi non expellantur, tamen per conceptionem unius vitii vel ſatis, vel parum minuuntur, vel intentione deteriorantur. Vnde omnis virtus cuicunque crimini eſt deflenda, & de omnibus indulgentia eſt petenda. ¶ Animadvertere etiam oportet, & animadvertendo deflere animam proximi, quam fornicator Deo eripuit, vel ereptam in malo confirmavit: etiam, quòd exemplum extitit mali in operatione ſui criminis: cui magis profuiſſet, ſi aliis fuiſſet cauſa converſionis. Gemat itaque aliorum vitam in ſua corruptam, vel incorruptam non conſervatam, & commodum proximi, quod dediſſet exemplo boni. Doleat de triſtitia, quam peccando bonis intulit, & de lætitia, quam eis non adhibuit. Et non ſolùm cogitet, quid & qualiter fecerit, ſed quàm injuſtè Deum, ut diximus, peccando offenderit. Timeat illam veritatis ſententiam: [non *c* poteſtis duobus Dominis ſervire.] Timeat ergo, ne omnia bona, quæ fecit, dum in uno peccato perſeveraverit, ex contaminatione *d* mali perdiderit: ut qui ſervivit diabolo per crimen, Dei, quam obtulit, amiſerit ſervitutem. Pium eſt tamen credere, ut recepta Dei gratia, quæ in eo deſtruit mala priora, etiam remuneret bona: ut cùm deſtruxerit quod ſuum non invenit, amet & diligat bonum, quod etiam in peccante plantavit. ¶ In his omnibus dolens aut ſæculum derelinquat, aut ſaltem illa, quæ ſine admiſtione mali non ſunt adminiſtranda, ut mercatura, & militia, & alia, quæ utentibus ſunt nociva, ut adminiſtrationes ſæcularium poteſtatum: niſi his utatur ex obedientiæ licentia. Ponat ſe omninò in poteſtate judicis, in judicio ſacerdotis, nihil ſibi reſervans ſui: ut omnia eo jubente paratus ſit facere pro reparanda animæ vita, quæcunque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum deſiderio: quia vitam recuperat infinitam, ut Deus. Cum gaudio enim deberet facere immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte moriturus. Semper deprecetur Deum, certus de venia, quia omnibus modis, & ſine tædio, dubius rogaret poteſtatem terrenam. Abſtineat à multis licitis, qui per libertatem arbitrii commiſit illicita. Semper offerat Deo mentem, & cordis contritionem, & deinde quod poteſt de poſſeſſione: tunc quod offert, ſecurus offerat. [*b* Reſpexit enim Dominus ad Abel, & ad munera ejus.] Sed prius reſpexit ad Abel, quàm ad munera. Sumens enim mentem, quam cognovit humilem & puram, remuneravit ejus largitatis munera. At Cain verò non reſpexit, nec ad ejus munera. Mentem enim ejus quam viderat, quoniam non cognovit *c*, eius munera non recepit. In judicio enim cordis conſideranda eſt eleemoſyna tribuentis: nec jam conſiderandum eſt, quantum, ſed qua mente, qua affectione dat quod poteſt. Vidua *d* enim duobus, quæ habuit, largamnutis, plus omnibus miſit. Qui ergo vult ſua peccata redimere temporalium oblatione, caveat, ut offerat mentem prius. ¶ Cautus ſit, ne verecundia ductus dividat apud ſe cõfeſſionem: ut diverſa diverſis velit ſacerdotibus manifeſtare. Quidam enim uni celant, quæ alii manifeſtanda reſervant *e*: quod eſt, ſe laudare, & ad hypocriſim tendere, & ſemper venia carere, ad quam per fruſta putat totam pervenire. Caveat præterea, quem vera delectat pœnitentia: non prius ad Domini corpus accedat, quam confortetur bona conſcientia. Sed in hac ſeparatione tremendum Dei judicium cogitet, ubi 2 & majus, & terribilius impœnitentes ſeparabit in ignem. Gemat, quòd nondum audet ſumere, quem multum deſiderat, cibum ſalutarem. Iſti ſunt digni fructus pœnitentiæ, animam captivam elaqueantes, & in libertate ſervantes. Cohibeat ſe præterea à ludis, & à ſpectaculis ſæculi, qui perfectam vult conſequi gratiam remiſſionis. Nam *f* Dina, ſi ſe cohibuiſſet, ſi inter ſuos remanſiſſet, ab extraneo raptore corrupta non fuiſſet. Tantò igitur magis ſibi caveat & cohibeat ſe anima, quæ ſæpe, vel ſemel corrupta eſt & *rapta*: timeat jam docta experimento, quod ignoravit virgo: eligat, quem imitetur, non ſequatur, quem animus ſuus damnat. Se enim judicat, qui fructus pœnitentiæ non habentem à ſe non elongat. Laudet enim & amet, quos dignè fructificare non ignorat: quærat fructus dignos, etſi non dignos pœnitentiæ. Sunt enim fructus digni, virtutum fructus, qui non ſufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim graviores expoſtulat, ut ſic pacetur eccleſia, ut pacata dolore & gemitibus, mortuis impetret veniam.

1 ¶ Et quanta virtus] *In originali eſt*, Et quanta victus fuerit impugnatione. *Sed ob gloſſam non eſt mutatum. Multa autem alia & magni ponderis emendata ſunt (ubi per eandem licuit) & ex ipſo originali, & ex vetuſtis Gratiani codicibus.*

2 ¶ Vbi & majus] *In originali legitur*, Vbi magis terribilis ſententia peccantes ſeparabit in ignem.

a *Secundùm modum.*] *vera lectio.* b *gratiam.*] *orig.* c *Matthæi 6.* d *al. communicatione.*] *al. communione.*

a *alit. in omnibus. Cap. 15.* b *Geneſis 4.* c *cognovit humilem.*] *vera lectio.* d *Matth. 12.* e *conſervant.*] *orig.* f *Geneſ. 34.*

C. II

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

C. II. ¶ *Pœnitentes negotiationis lucra abjiciant.*

*Item* Leo Papa *epiſt. 90. al. 92. ad Ruſticum Epiſcopum, c. 9.*

QValitas *a* lucri negotiantem aut excuſat 1, aut arguit: quia eſt & honeſtus quæſtus, & turpis. Verumtamen pœnitenti utilius eſt etiam diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi: quia difficile eſt inter ementis, vendentiſque commercium non intervenire peccatum.

1 ¶ Excuſat] *Sic ex originali, & Polycarpo, & Ivone, & Burchardo: nam in Gratiani exemplaribus erat,* accuſat.

C. III. ¶ *Poſt pœnitentiam ad militiam ſæcularem redire non licet.*

Idem *ibidem, cap. 10.*

COntrarium *b* eſt omninò eccleſiaſticis regulis, poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem: cùm Apoſtolus dicat: [Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus.] Vnde non eſt liber à laqueis diaboli, qui ſe militiæ mundanæ voluerit implicare.

C. IV. ¶ *Decennio pœniteant, qui poſt pœnitentiam ad ſæcularem militiam redeunt.*

*Item* ex Nicæno concilio, *cap. 11.*

SI qui verò per Dei gratiam vocati, primò quidem oſtenderunt fidem ſuam depoſito militiæ conjugio, poſt hæc autem ad proprium vomitum ſunt reverſi, ut & pecunias darent, & ambirent redire rurſum ad militiam, iſti decem annis ſint inter pœnitentes poſt primum triennium, quo fuerint inter audientes. Ab omnibus verò præcipue illud obſervetur, ut animus eorum, & fructus pœnitentiæ attendatur. Quicunque enim cum omni timore, & lachrymis perſeverantibus, & operibus bonis converſionem ſuam non verbis ſolis, ſed opere & veritate demonſtrant, cùm tempus ſtatutum etiam ab his fuerit impletum, & orationibus jam cœperint communicare, licebit Epiſcopo humanius etiam circa eos aliquid cogitare. Qui verò indifferenter habuerint lapſum, & ſufficere ſibi, quòd intra eccleſiam introierint, arbitrantur, iſti omnimodo tempora ſtatuta complebunt.

¶ *Caput hoc eſt poſterior pars capitis undecimi ex priſca verſione, quæ verſio eſt omiſſa in poſtrema quatuor tomorum Colonienſi conciliorum editione, & ejus loco quatuor verſiones poſitæ, ex quibus facile corrigi poſſunt quæ in hac interdum obſcure & mutilatè dicuntur. Quod verò ad ſententiam canonis pertinet, legenda ſunt, quæ à Zonara ac Balſamone in ipſius explicatione, & à Ruffino lib. 10. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 6. & à Cardinali Varmienſi contra Brentium libro tertio afferuntur. Agitur enim de illis militibus, qui imperio Licinio vetante cingulum militiæ ab iis retineri, qui fidem Chriſto datam ſervare vellent, illum abjicere, quàm fidem frangere maluerant, ac tamen poſtea cupiditate terrena victi, illum recuperare conati fuerant, quod argumento erat, ipſos à fide deſciſcere. Inſcriptio verò canonum hæc eſt inſcriptio hujus capitis:* De his qui abrenuntiaverunt, & iterum ad ſæculum ſunt regreſſi.

C. V. ¶ *A communione ſuſpendatur, qui poſt pœnitentiam ad ſæcularia redeunt.*

*Item* ex concilio Aurelianenſi I. *cap. 23.*

DE his, qui ſuſcepta pœnitentia religionem ſuæ profeſſionis obliti, ad ſæcularia relabuntur, placuit eos & à communione ſuſpendi, & ab omnium catholicorum conviviis ſeparari. Quòd ſi poſt interdictum cum eis quiſquam præſumpſerit manducare, & ipſe communione privetur.

a Polyc. lib. 4. tit. 31. Burch. l. 2. c. 128. & l. 19. c. 95. Ivo p. 6. c. 202. & part. 15. c. 25. & p. 15. c. 107. b Polyc. l. 6. tit. 20. Burch. lib. 19. c. 66. Ivo part. 15. c. 20.

C. VI. ¶ *Quæ ſit falſa pœnitentia.*

*Item* Gregorius VII. *in ſynodo Romana celebrata anno 1078. c. 6.*

FAlſas *a* pœnitentias dicimus, quæ non ſecundùm auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque quicunq; miles, vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius injuſtè detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, niſi negotium derelinquat, vel officiū deſerat, & odium ex corde dimittat, bona, quæ injuſtè abſtulit, reſtituat, arma 1 deponat, ulteriuſq; non ferat, niſi conſilio religioſorum Epiſcoporum pro defendenda juſtitia. Ne *b* tamen deſperet, interim quidquid boni facere poterit, hortamur, ut faciat: ut omnipotens Deus cor illius illuſtret ad pœnitentiam.

1 ¶ Arma] *Totum hoc membrum quod pertinet ad arma, in originali, & Polycarpo eſt ante verba illa,* negotium derelinquat. *Sed ob gloſſam ordo non eſt reſtitutus.*

C. VII. ¶ *Poſt converſionem ad negotium redire non licet, quod ſine peccato agi non poteſt.*

*Item* Gregorius *in homilia 24. Evangel.*

NEgotium, quod ante converſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt converſionem ſine peccato culpa non fuit. *& infrà.* ¶ Sunt enim pleraq; negotia, quæ ſine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenus poſſunt. Quæ ergo ad peccatum implicant, ad hæc neceſſe eſt, ut poſt converſionem animus non recurrat.

C. VIII. ¶ *De eodem.*

*Item* Innocentius Papa ſecundus *in concilio Romano c, c. 22.*

4 ps FRatres noſtros Epiſcopos, & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat, cum ſpretis pluribus de uno ſolo pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio. Vnde ſcriptum *d* eſt, [qui totam legem obſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.] ſcilicet, quantum ad vitam æternam: ſicut enim ſi peccatis eſſet omnibus involutus, ita ſi in uno tantùm maneat, æternæ vitæ januam non intrabit. Falſa etiam ſit pœnitentia, cùm pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet: aut ſi odium in corde geſtetur, aut ſi non offenſo cuilibet ſatisfiat, aut ſi non indulgeat offendenti offenſus, aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat.

## DISTINCTIO VI.

1 ps CVi autem debeat fieri confeſſio, vel qualem illum oporteat eſſe, qui aliorum crimina judicat, ex *e* eodem l. de pœnitentia, *cap. 10. docetur, cùm dicitur.*

C. I.

QVi *f* vult confiteri peccata, ut inveniat gratiam, quærat ſacerdotem ſcientem ligare & ſolvere: ne, cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet & petit, ne ambo in foveam cadant, quam ſtultus evitare noluit. Tanta itaque vis confeſſionis eſt, ut ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quòd pœnitens non poteſt confiteri coram ſacerdote, quem deſideranti nec locus, nec tempus offert: & ſi cui ille confitebitur, poteſta-

a Sent. 4. diſt. 16. Polyc. l. 6. tit. 20. b al. nec. c Et in concil. Vrbani ſecundi apud Melphiam, c. 15. Et in concil. Gregor. VII. anno 1080. Sent. 4. diſt. 15. d Iac. 2. e In lib. de vera & falſa pœnitentia, inter opera B. Aug. Sent. 4. diſt. 17. f Sup. diſtinct. 1. quem pœnitet. §. quare qui.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tem ſolvendi non habet, ſit tamen dignus venia ex deſiderio ſacerdotis, qui ſocio confitetur turpitudinem criminis. Mundati *a* enim ſunt leproſi, dum irent oſtendere ora ſacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Vnde patet Deum ad cor reſpicere, dum ex neceſſitate prohibetur ad ſacerdotes pervenire. Sæpe quidem eos quærunt ſani & læti: ſed dum quærunt, antequam perveniant ad eos moriuntur. Sed Dei miſericordia eſt ubique, qui & juſtis *b* novit parcere, etſi non tam cito, ſicut ſi ſolverentur à ſacerdote. Qui igitur omninò confitetur ſacerdoti, meliori, quàm poteſt, confiteatur: & ſi peccatum occultum eſt, ſufficiat referre in notitiam ſacerdotis, ut grata ſit oblatio muneris. *& infra, capite 12.* ¶ Laboret itaque pœnitens in eccleſia eſſe, & ad eccleſiæ unitatem tendere: niſi enim unitas eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori, ſua operatione *c* compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum eſt enim (& pietas fidei expoſtulat credere) quòd omnes eleemoſynæ totius eccleſiæ, & orationes, & opera juſtitiæ, & miſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam ad converſionem ſuam. Ideoque nemo dignè pœnitere poteſt, quem non ſuſtineat unitas eccleſiæ: ideoque non petat ſacerdotes per aliquam culpam ab unitate eccleſiæ diviſos. Iudas enim pœnitens ivit ad Phariſæos, reliquit Apoſtolos, nihil invenit auxilii, ſed augmentum deſperationis. Dixerunt enim: [Quid *d* ad nos? tu videris:] ſi peccaſti, tibi ſit, non tibi ſuccurrimus, non peccata tua charitativè ſuſcipimus, non comportanda promittimus, non qualiter deponas onus, docemus. Quid enim nobis & miſericordiæ, qui nec opera ſequimur juſtitiæ? iſſet *e* ad fratres, iſſet ad illos, qui oraverant pro ſocru *f* Petri febricitante, qui Chananæam improbam miſericordiæ obtulerant. Interrogaſſet Petrum pro ſe lachrymas effundentem: non *g* fugiſſet Mariam & Martham, quæ vitam Lazaro impetraverant, non *h* turbam plorantem, quæ unicum filium acquiſierat viduæ. Ivit ad diviſos, & diviſus periit. *& infra, cap. 20.* ¶ Sacerdos itaque, cui omnis offertur *i* peccator, ante quem ſtatuitur omnis languor, in nullo eorum ſit judicandus, quæ in alio judicare eſt promptus. Iudicans enim alium, qui eſt judicandus, condemnat ſeipſum. Cognoſcat igitur ſe, & purget in ſe, quod alios videt ſibi offerre. Caveat ergo, ut à ſe abjecerit, quidquid in alio damnoſum reperit: animadvertat, quod dicitur: [Qui *k* ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat.] Ideò enim liberavit peccatricem, quia non erat, qui juſtè projiceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui ſe lapidandum cognoſceret? Nullus enim erat ſine peccato: in quo intelligitur, omnes crimine fuiſſe reos. Nam venialia ſemper remittebantur per cæremonias. Si quod igitur in eis peccatum erat, criminale erat. Deteriores itaque in hoc ſunt ſacerdotes, ſe priùs non ædificantes, illis qui Dominum obſervabant inſidiis. In hoc itaque patentiſſimum eſt crimen ſacerdotum, & ultra modum deteſtabile, qui non priùs ſe judicant, & alios alligant. Deberent enim in ſe timere crimen, quod in aliis timuerunt, & deteſtabile ſenſerunt. Illi quidem adeò cæci erant, quòd ſummam ſapientiam ſperabant capere ſuis inſidiis. Quod illis patuit, quod tunc quiſque vitavit, vitet ſacerdos, qui in hoc errore pejor illis Iudæis extiterit. Caveat ſpiritualis judex, ut ſicut non commiſit crimen nequitiæ, ita non careat munere ſcientiæ. Oportet enim ut ſciat cognoſcere quidquid debet judicare. Iudiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut, quod debet judicare, diſcernat. Diligens igitur inquiſitor, & ſubtilis inveſtigator ſapienter, & quaſi aſtutè interroget à peccatore, quod forſitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito itaque crimine, varietates ejus non dubitet inveſtigare, & locum, & tempus, & cætera, quæ ſupra diximus in exponendo eorum qualitates. Quibus cognitis adſit benevolus, paratus erigere, & ſecum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, diſcretionem in varietate: adjuvet confitentem orando, eleemoſynas dando, & cætera bona pro eo faciendo: ſemper eum juvet leniendo, conſolando, ſpem promittendo, & cùm opus fuerit, etiam increpando. Doleat *a* loquendo, inſtruat operando, ſit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudii: doceat perſeverantiam: caveat, ne corruat, ne juſtè perdat poteſtatem judiciariam. Licet enim pœnitentia ei poſſit acquirere gratiam, non tamen mox reſtituit in poteſtatem primam. Et *b* ſi enim Petrus poſt lapſum reſtitutus fuerit, & ſæpe lapſis ſacerdotibus reddita ſit dignitatis poteſtas, non eſt tamen neceſſe, ut hoc omnibus concedatur quaſi ex auctoritate. Invenitur enim auctoritas, quæ concedit, & quaſi imperat: invenitur illa, quæ minimè concedit, ſed vetat quæ ſcripturæ non repugnant, ſed concordant, ſi locus, & tempus, & modus pœnitentiæ pacem adhibeant. Cùm enim tot ſunt, qui labuntur, ut priſtinam dignitatem ex auctoritate *c* defendant, & quaſi auſum peccandi ſibi faciant, reſcindenda eſt ſpes iſta. Si verò locus eſt ubi iſta non concurrant, reſtitui poſſunt qui peccant. Itaque Pontifex juſtus atque diſcretus non cogitur ſacerdotes ſuos ſemper abjicere: nec mox reſtituere, niſi ſtatutum fuerit à Romano Pontifice.

*Caveat ſacerdos, ne peccata pœnitentium aliis manifeſtet. Quod ſi fecerit, deponatur.*

C. II. ¶ *Deponatur ſacerdos, qui peccata pœnitentis publicare præſumit.*

*Unde Gregorius.*

SAcerdos *d* ante omnia caveat, ne de his, qui ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, neque, quod abſit, pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur. & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat.

3 pars. *Quòd autem dicitur, ut pœnitens eligat ſacerdotem ſcientem ligare & ſolvere, videtur eſſe contrarium ei, quod in canonibus invenitur, ut nemo videlicet parochianum alterius judicare præſumat. Sed aliud eſt, favore, vel odio proprium ſacerdotem contemnere, quod ſacris canonibus prohibetur: aliud, cæcum vitare, quod hac auctoritate quiſque facere monetur, ne, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadant.*

C. III. ¶ *Cuilibet ſacerdoti commiſſum, niſi pro ejus ignorantia, alter ſacerdos ad pœnitentiam non ſuſcipiat.*

*Unde* Vrbanus Papa II.

PLacuit *e*, ut deinceps nulli ſacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine ejus conſenſu, cui priùs ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens priùs confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjacebit.

## DISTINCTIO VII.

1 ps. TEmpus verò pœnitentiæ eſt uſque ad ultimum articulum vitæ.

a *Luc. 17.* b *iſtis.*] *videtur legendum.* c *opitulatione.*] *origin.* d *Matth. 27.* e *ſi iſſet.*] *orig. antiquum.* f *Luc. 4. Matth. 15.* g *Ioann. 11.* h *Luc. 7.* i *profertur.*] *origin.* k *Ioann. 8.*

a *Doceat.*] *vera lectio.* b *Vide Iſidorum in præfatione de ſummo bono.* c *alit. auctore.* d *Sentent. 4. diſtinct. 2. Paſc. lib. 6. titul. 20. Anſelm. lib. 11. cap. 25.* e *Sup. 9. quæſt. 2. placuit. Sentent. ibid.*

C. I. ¶ *De eodem.*

*Unde* Leo Papa, *epiſt. 90. al. 92. ad Ruſticum, cap. 3.*

NEmo *a* deſperandus eſt, dum in hoc corpore conſtitutus *b* eſt: quia nonnunquam, quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur.

2 pars. *Quanquam de differentibus pœnitentiam* Auguſtinus *ſcribit in lib. 50. homil. hom. 41.*

C. II.

SIquis *c* poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis ſuæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quòd bene hinc exit: ſi ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem dare non poſſumus. Nunquid dico, damnabitur? Sed non dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? vis, quod incertum eſt, evadere? age pœnitentiam, dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi, quod ſecurus es; quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa.

¶ *Hæc, & duo ſequentia capitula accepta ſunt ex homilia 41. B. Auguſtini, ſed primum hoc ordine, multiq; verbis mutatis. Atque ideo Burchardus & Ivo non ex Auguſtino, ſed ex dictis Auguſtini citant. Quare nihil mutatum: ſed præſtat omninò homiliam ipſam legere. Eadem in bibliotheca ſanctorum Patrum, tomo 7. tribuitur B. Cæſario Arelatenſi Epiſcopo.*

C. III.

Idem *in eadem homilia, paulò ſuperius.*

QVi egerit veraciter pœnitentiam, & ſolutus fuerit à ligamento, quo erat aſtrictus *d*, & à Chriſti corpore ſeparatus, & bene poſt pœnitentiam vixerit, ſicut ante pœnitentiam vivere debuit, poſt reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur, à populo *e* diaboli ſeparabitur.

C. IV.

Item *ibidem.*

SI quis 1 autem, &c. *& infrà.* ¶ Baptizatus ad horam ſecurus hinc exit: fidelis bene vivens ſecurus hinc exit: agens pœnitentiam, & reconciliatus, cùm ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus hinc exit. Agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Unde ſecurus ſum, dico, & ſecuritatem do: unde non ſum ſecurus, pœnitentiam dare poſſum, ſecuritatem dare non poſſum. *& poſt pauca.* ¶ Sed unde 2 ſcis (inquis) ne fortè Deus dimittat mihi? verum dicis, unde? neſcio. Illud ſcio: hoc neſcio. Nam ideò do tibi pœnitentiam, quia neſcio: nam ſi ſcirem tibi nihil prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res ſunt: aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur. Quid horum tibi futurum ſit, neſcio. Ergo *f* tene certum, dimitte incertum.

1 ¶ Si quis autem] *Apud B. Auguſtinum ſequuntur verba, quæ relata ſunt paulò antè in capite*, ſi quis poſitus, *uſque ad verſ.* bene hinc exit.

2 ¶ Sed unde ſcis] *Hæc apud B. Auguſt. ſequuntur poſt ultima verba ejuſdem capitis,* ſi quis poſitus.

*Hoc autem quare Auguſtinus dixerit, Cyprianus oſtendit, lib. 4. epiſt. 2. ad Antonianum, dicens.*

C. V.

IDcirco frater chariſſime pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omninò cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari: quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.

C. VI.

*Item* Auguſtinus *in libro de pœnitentia,* a *c. 17.*

NVllus expectet, quando jam non poſſit peccare. Arbitrii enim quærat libertatem, ut dolere *b* poſſit commiſſa, non neceſſitatem. Qui prius itaque à peccatis relinquitur, quàm ipſa relinquat, ea non liberè, ſed quaſi ex neceſſitate condemnat. Licet enim latro *c* veniam meruiſſet in fine de omni ſuo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perſeverandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus eſt, qui tunc primùm in cruce Chriſtum confeſſus eſt. Pœnitentia enim ſi in extremo hiatu vitæ advenerit, ſanat, & liberat in ablutione baptiſmi, ita quòd nec purgatorium ſentiunt, qui in fine baptizantur: ſed ipſi ditati bonis ſanctæ matris eccleſiæ ſunt recepturi multiplex bonum in vera beatitudine. Illi autem, qui cùm potuerunt, nunquam converti voluerunt, confitentes, cùm jam peccare nequeunt, non ſic facilè acquirunt quod volunt. Oportet enim, ut pœnitentia fructificet ad hoc, ut mortuo vitam impetret. Scriptum *d* eſt enim, ſine charitate neminem ſalvum eſſe. Non itaq; in ſolo timore vivit homo. Quem ergo ſerò pœnitet, oportet non ſolùm timere Deum judicem, ſed & juſtum diliget: non timeatur pro pœna, ſed ametur pro gloria. Debet enim dolere de crimine, & de omni ejus prædicta varietate. Quod quoniam vix licet, de ejus ſalute Auguſtinus *e* potuit dubitare. Credo quidem illi, qui dixit: [Quacunque *f* hora peccator ingemuerit, & converſus fuerit, vita vivet.] Dixit converſum, non tantùm verſum, vita vivere. Verſum quidem puto, qui dolet de crimine; converſum, qui dolet de omni *g* ejus, quam expoſuimus, varietate. Vertitur à peccato, qui jam vult dimittere peccatum: convertitur, qui jam totus, & omninò vertitur, qui jam non tantùm pœnas non timet, ſed ad bonum Domini contendere feſtinat. Quæ converſio, ſi contigerit alicui etiam in fine, deſperandum non eſt de ejus remiſſione. Sed quoniam vix, vel raró eſt tam juſta converſio, timendum eſt de pœnitente ſerò. Quem enim morbus urget, & pœna terret, ad veram vix veniet ſatisfactionem, maximè, cùm filii quos illicitè dilexerit, ſint præſentes, uxor, & mundus ad ſe vocent. Multos enim ſolet ſerotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus ſemper potens eſt, ſemper etiam poteſt in morte juvare quibus placet. Cùm itaque opus ſit non hominis, ſed Dei fructifera pœnitentia, inſpirare eam poteſt, quandocunque vult ſua miſericordia, & remunerare ex miſericordia, quos damnare poteſt ex juſtitia. Sed quoniam multa ſunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt, & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum eſt, cui Deus tunc inſpirat. Si quis eſt igitur, qui veram tunc quærat pœnitentiam, expectet Dei clementiam, majorem ſentiens Dei bonitatem ſua nequitia. Sed ſi etiam ſic converſus evadat, vita vivat, & non moriatur, non tamen promittimus, quòd evadat omnem pœnam. Nam priùs purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſæculum diſtulit fructum converſionis. Hic autem ignis, etſi æternus non ſit, miro tamẽ modo eſt gravis. Excellit enim omnem pœnam, quam unquã paſſus eſt aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta invẽta eſt pœna, licet mirabilia paſſi ſint martyres tormenta: & multi nequiter iniqui tanta

a *Sent. 4. diſt. 20. ſup. 32. q. 2. ancillam. §. nemo.* b *al. conſtitutus.* c *Sent. ibid. Polyc. l. 8. tit. 1. Anſ. l. 11. c. 137. Burch. l. 18. c. 15. Ivo p. 15. c. 22. 1. q. 3. Salvator.* d *al. abſtrictus.* e *al. conſortio.* f *Sent. ibid.*

a *In lib. de vera & falſa pœnitentia. Sent. ibid.* b *al. delere.* c *Luc. 23.* d *1. Cor. 13.* e *Sup. ſi quis autem.* f *Ezechiel. 33.* g *al. animi.* ] *orig.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſuſtinuerunt *a* ſupplicia. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere, ut poſt mortem non oporteat talem pœnam tolerare. Quædam enim peccata ſunt, quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt vitalia *b*, non tamen ſtatim ſanata. Sæpe enim quidam ægri morerentur, niſi medicarentur: non tamen ſtatim ſanantur: languet victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omninò moritur, & æternaliter cruciabitur. Qui enim impœnitens finitur *c*, ſi ſemper viveret, ſemper peccaret. At Dei eſt miſerentis, quòd operatur finem peccantis *d*: ob hoc etiam ſine fine torquebitur *e*, quia nunquam ditabitur virtute: ſemper plenus iniquitate, ſemper ſine charitate, torquebitur ſine fine.

1 ¶ Quoniam vix licet] *Sic eſt emendatum ex editione Plantiniana. Nam antea legebatur*, Quòd quamvis licet de ejus ſalute, Auguſtinus, &c. *Neq; accuſare, ſed interpretari voluit Auguſtinum hic auctor, ſine dubio ipſius ſectator. Multa verò alia in hoc capite partim ex vetuſtis Gratiani codicibus, partim ex ipſo originali ſunt emendata.*

## QVÆSTIO IV.

1 ps Q*Vòd autem orationis tempore conjugali operi vacare non liceat, beatus Hieronymus* f *in quodam ſermone ſcribit, ita dicens.*

C. I. ¶ *Tempore, quo uxori debitum redditur, à carnibus agni abſtinere oportet.*

SCiatis *g* fratres chariſſimi, quoniam quicunque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus agni comedere debet. *Item paulò poſt*: Si panes propoſitionis non poterant ab iis, qui uxores ſuas tetigerant, comedi, quantò magis panis ille, qui de cælo deſcendit, non poteſt ab his, qui conjugalibus paulò ante hæſere complexibus, violari atque contingi? non quo nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus:) ſed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debeamus.

¶ *Prior pars hujus capitis, uſque ad verſ.* Item. *de induſtria videtur in ſummam collecta: reliqua autem ex originali eſt emendata & aucta.*

C. II. ¶ *A conjugali concubitu in ſanctorum ſolemnitatibus eſt abſtinendum.*

*Item* Auguſtinus *ſermone 2. de tempore* [*id eſt, de 2. Dominica adventus.*]

QVotieſcunque *h* aut dies natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates adveniunt, ſicut frequenter admonui, ante plures dies non ſolùm ab infidelium *i* concubinarum conſortio, ſed etiam à propriis uxoribus abſtinere debemus.

C. III. ¶ *Diebus jejuniorum à propriis uxoribus abſtinere oportet.*

*Item* Ambroſius *in ſermone de adventu Domini.*

FRatres, non ſolùm debetis ab omni immunditia abſtinere: ſed etiam ab uxoribus propriis ſtudioſiſſimè contineatis. Nullus 1 omninò uxori ſuæ jejuniorum diebus conjungatur.

1 ¶ Nullus] *In hoc ſermone, qui habetur manuſcriptus in bibliotheca Vaticana, hinc uſque ad finem non habentur. Sed in alio ſermone manuſcripto de Quadrageſima hæc leguntur.* Nullus omninò uxori ſuæ jungatur ante octavam Paſchæ. *In pleriſq; vetuſtis codicibus Gratiani hoc loco abſunt iſta verba* jejuniorum diebus: *de quibus tamen B. Ambroſius loquebatur: & ideò ſunt etiam in rubrica.*

a *al. ſæpe ſuſtinuerunt.* b *venalia.*] *orig.* c *alit. moritur vel finitur.* d *al. peccandi.* e *torquetur.*] *orig.* f *In vigilia Paſchæ de eſu agni.* g *Sent. 4. diſt. 32. Ivo p. 8. c. 87.* h *Sent. 4. diſt. 32.* i *infelici.*] *vera lectio.*

C. IV.

Idem *ſuper epiſt. 1. ad Corinth. inc. 8.*

SI cauſa *a* procreandorum filiorum ducitur uxor non multum tempus conceſſum videtur ad ipſum uſum: quia & dies feſti, & dies proceſſionis *b*, & ipſa ratio conceptus, & partus, juxta legem ceſſari temporibus his debere demonſtrant.

C. V. ¶ *Uxoris uſus certis diebus ceſſare jubetur.*

*Unde* Auguſtinus *in libro quæſtionum veteris & novi Teſtamenti, quæſt. 127.*

CHriſtiano *c* cum uxore ſua convenire aliquando licet, aliquando verò non licet. Propter dies enim proceſſionis aliquando non licet convenire: quia etiam à licitis abſtinendum eſt, ut facilius impetrari poſſit quod poſtulatur. Unde Apoſtolus *d* ex conſenſu ait abſtinendum ad tempus, ut vacetur orationi. Nam ſecundùm legem *e* in jejunio cædere *f*, & jurgari non licet, poſtea licet: quia major reverentia debetur Dei cauſis.

C. VI. ¶ *Non verè pœnitentiam agit, qui continentiam non ſervat.*

*Item* Ioannes Chryſoſtomus.

QVi in caſtigatione victus ſe dicit agere pœnitentiam, fruſtra hoc ſermone promittit, niſi egrediatur de cubili ſuo, & jejunio continentiam addat.

*Caput hoc apud B. Ioannem Chryſoſtomum, ex quo citatur, non eſt inventum. Sed eadem ferè leguntur in commentariis B. Hieronymi ad cap. 2. Ioelis* g, *& copioſius etiam expoſita.*

C. VII. ¶ *Ab ingreſſu eccleſiæ temperare ſe debet vir cum propria uxore dormiens.*

*Item* Gregorius *in reſponſione 10. ad interrogationes Auguſtini.*

2 ps VIr *h* cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aqua, intrare eccleſiam non debet: ſed neque lotus intrare ſtatim debet. *& infrà.* ¶ Quamvis enim de hac re diverſæ hominum nationes diverſa ſentiant, atq; alii alia cuſtodire videantur: Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admiſtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu eccleſiæ paululum reverenter abſtinere. Nec hæc dicentes deputamus culpam eſſe conjugium: ſed quia ipſa licita admiſtio conjugum ſine voluptate carnis fieri non poteſt, à ſacri loci ingreſſu abſtinendum eſt: quia voluptas ipſa eſſe ſine culpa nullatenus poteſt. Non enim de adulterio vel fornicatione, ſed de legitimo matrimonio ſuſceptus fuerat, qui dicebat? [Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis peperit me mater mea.] *& infrà.* ¶ Oportet itaque, legitima 1 carnis copula ut cauſa prolis ſit, non voluptatis: & carnis commiſtio creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum. Si quis ergo ſua *i* conjuge, non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo liberorum creandorum gratia utitur, ipſe profectò de ingreſſu eccleſiæ, ſeu de ſumendo corporis Dominici, ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere. Cùm verò non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commiſtionis, habent conjuges etiam de ſua commiſtione, quod defleant. *& paulò poſt.* ¶ Tunc autem vir, qui poſt admiſtionem conjugis aqua lotus fuerit, etiam ſacræ communionis myſterium valet accipere, cùm ei juxta præfinitam ſententiam eccleſiam etiam licuerit intrare.

1 ¶ Legitima] *Ita emendatum eſt ex variis codicibus Gregorii. Antea legebatur,* oportet itaque legitimam carnis eſſe copulam. *Multa etiam alia ſunt emendata.*

a *Sent. ibid. Ivo p. 8. c. 84. Pann. l. 6. c. 21.* b *al. purgatio* c *ſup. diſt. 5. Sent. ibid. Ivo p. 8. cap. 79.* d *1. Corint. 7.* e *Eſai.* f *al. cadi.*] *orig.* g *Ioel. 2.* h *Sent. 4. diſt. 31. Polyc. l. 6.* *Ivo part. 8. c. 88.* i *ſuam conjugem.*] *orig.*